



# Specimen historico-theologicum de Lactantio

<https://hdl.handle.net/1874/298931>



Misc. doctr.  
Qu. n° 192

BOEKBINDERIJ

VAN

*Grondijs en v.d. Want.*


Utrecht.

RIJKSUNIVERSITEIT UTRECHT



1297 8767

1. Kotzé, J. J. De Lactantio.
2. Marchant jr. J. A. Verhandeling over de hervorming van den Code pénal in België.
3. Krijt, Guil. H. Spec. theol. cum de Apocalypseo libro, tum de Septem, quae illo continentur, epistolis.
4. Brieder, H. de. De stoornissen der accommodatie van het oog.




# Thesinaug.

1. Kuyper, A. H. Quaest. argum. obstetr.
2. Tanhuys, Guil. Ern. van. Thes. jur.
3. Alenijn, J. F. Thes. jur.
4. Lynden, J. C. E. v. jur.
5. Heyden, S. J. A. van der. jur.
6. Schorer, E. P. jur.
7. Taderna, J. L. jur.
8. Smink, R. C. jur.
9. Schoemaker, A. H. obstetr.
10. Schoemaker, A. H. chir.
11. Glemmers, H. B. S. obstetr.
12. Hall, F. A. van. jur.
13. Bergsma, J. H. jur.
14. Son, M. P. van. jur.
15. Tobbe, H. obstetr.
16. Westhoff, F. A. obstetr.
17. Mees, B. jur.
18. Beresteijn, J. van. jur.
19. Gerlings, P. E. G. jur.

- N<sup>o</sup> 20. Fils, J. Ph. Th. jur.  
21. Meemeling, S. obstetr.  
22. Merkus, G. R. jur.  
23. Schnell, G. M. Guil. jur.  
24. Espers, W. J. jur.  
25. Moost, Guil. J. J. G.








1864 III

SPECIMEN HISTORICO-THEOLOGICUM

DE

LACTANTIO.



SPECIMEN HISTORICO-THEOLOGICUM

DE

LACTANTIO,

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

GEORGII GUILIELMI VREEDE,

JURIS ROM. ET HOD. DOCT. ET PROF. ORD.

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

VENERANDAE FACULTATIS THEOLOGICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN

THEOLOGIA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO ET SOLEMNI EXAMINI SUBMITTET

JOHANNES JACOBUS KOTZÉ G. FIL.,

ex Promontorio Bonae Spei Capensis.

D. XXV M. JANUARI, A. MDCCCLXI, HORA I.



Trajecti ad Rhenum,

TYPIS MANDARUNT KEMINK ET FILIUS.

MDCCCLXI.

ACTS AND RESOLUTIONS

OF THE

LEGISLATURE

OF THE STATE OF NEW YORK

IN SENATE

January 15, 1880

REPORT

OF THE

COMMISSIONERS OF THE LAND OFFICE

IN ANSWER TO A RESOLUTION

PASSED BY THE SENATE

APRIL 18, 1879

ALBANY:

WEDDERBURN, BROS. & CO. PRINTERS.



VIRO DOCTISSIMO, PLURIMUM VENERANDO

S. P. HEYNS, TH. D<sup>R</sup>.

IN URBE CAPENSI SACRORUM ANTISTITI;

DOCTISSIMO, CONSULTISSIMO

LANGHAM DALE, L. L. D.;

DOCTISSIMO, PLURIMUM VENERANDO

G. F. CHILDE, M. A.;

VIRIS CLARISSIMIS IN ATHENAEO AUSTRO-AFRICANO;

NEC NON

VIRO NOBILISSIMO

S. J. DE KOCK;

JUVENTUTIS MEAE DUCIBUS

SACRUM.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

S. P. HEYNS, THE DR.

OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

PHYSICIAN IN CHARGE

LANGHAM BARR, U. S. DR.

PHYSICIAN IN CHARGE

G. E. GILBERT, M. D.

PHYSICIAN IN CHARGE

OF THE

UNIVERSITY OF CHICAGO

S. J. DE KOCK

PHYSICIAN IN CHARGE

CHICAGO

## P R A E F A T I O.

---

*Me nunc ad metam vitae Academicæ pervectum et ad summos in Theologia honores consequendos, animus jubet pauca praefigere hisce studiorum meorum primitiis. Quem juvenilis ætatis fructum, ut lectores, si qui erunt, benevole, quâ par est humanitate, accipiant simul rogare mihi liceat.*

*In hoc opere suscipiendo mihi proprie proposueram historico-dogmaticam expositionem de Lactantio exhibere. Igitur, post hujus auctoris rationem theologiam depictam, meum erat, in altera dissertationis parte, de ejus Theologia sive doctrina de Deo, Anthropologia et Christologia separatim critica ratione agere. Verum a proposito mihi abeundum erat valetudine prolapsa, qua etiam pro tempore compulsus*



eram hancce urbem relinquere, ut in mitiore coeli temperie hoc qualecunque specimen absolvere possem.

Lectori certe abs re parum alienum videbitur, cognoscere fontes a me hoc in opere scribendo adhibitos ac multo cum labore e Germania, Franco-Gallia et Britannia collectos. Eorum plerique e locis citatis omnino apparebunt; praeter quos autem alii sunt iique haud minoris momenti, ad quos varias ob causas diserte non alludi. Quare eorum omnium indicem hic addere mihi liceat, ne magna eorum inveniendorum et colligendorum moles incumbat futuro de Lactantio scriptori. Sunt illi fontes partim primarii, partim secundarii; ad priores referri possunt ipsae Lactantii editiones; quas operum omnium curaverunt viri docti:

JO. GEORGIUS WALCHIUS recensuit et criticis commentariis cum aliorum tum suis illustravit, addita *diatribe* de Lactantio ejusque stilo, Lipsiae, ex officina Weidmanniana. 1735 in 8°. vol. I.

CHRISTOPH. AUG. HEUMANNUS emendavit et illustravit, adjectis annotationibus criticis Mich. Thomasii et Christoph. Cellarii, cum praefatione lectu digna, Gottingae, apud Christ. Henr. Cunonem 1736, in 8°. vol. I.

JO. LUDOLPH. BÜNEMANN cum notis integris Chr. Cellarii et selectis aut excerptis Erasmi, Betuleii, Mich. Thomasii, Isaaci Buchneri, Gallaci, Sparkii, Walchii, Heumanni, Baluzii, Nurrii, N. Heinsii aliorumque ex max. MSS. et Edd.

apparatu recensuit et notis criticis uberrimoque novo indice latinitatis instruxit, Lipsiae, impensis Sam. Beniam. Waltheri. 1739, in 8°. vol. II.

NICOLAUS LENGLET DUFRESNOY ad LXXX et amplius MSS. codices, editosque XL. collata et emendata atque notis uberioribus illustrata, cui editione manum primam adhibuit JOH. BAPTISTA LE BRUN, Rothomagensis, additis praefatione in Lactantium, ejus vita, et Synthesi doctrinae Lactantii ex Servati Gallaei editione; ed. Lutetiae Parisiorum, apud Joh. de Bure, Bibliopolam, ad Ripam Augustiniensium. 1748, in 4°. vol. II.

*Societas Bipontina* ad optimas editiones collata, praemissa notitia litteraria de Lactantio, edidit *Biponti* ex typographia Societatis. 1786, in 8°. vol. II. (editio accurata.)

O. F. FREYSCHE ad optimorum librorum fidem emendavit et cum selecta lectionum varietate edidit in Bibliotheca Patrum Eccl. latinorum selecta, curante E. G. GERSDORF, in vol. X, Lips. 1842, apud Tauchnitz Jun.

Hisce omnibus accedunt quaedam opera ejusdem auctoris *singulatim edita* haecce:

*Liber de Mortibus Persecutorum* Lucio Coelio Firmiano Lactantio adscriptus, ad Colbertinum Codicem denuo emendatus, cum dissertatione de hujus libri auctore et omnibus illius locis dubiis, difficilibus, obscuris et variis auctoris opinionibus examinatis, explicatis atque illustratis, auctore D. NICOLAO LE NOURRY. Parisiis, apud Joannem Baptismam Delespine. 1710, in 8°. vol. I.

*Epitome Institutionum Divinarum* ex antiquissimo Bibliothecae

Regiae Taurinensis Codice eruta atque emendata, addita dissertatione praeliminari, ed. CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIUS, Parisiis, apud Joh. Baptistam Delespine. 1712, in 8° vol. I.

*Symposium*, sive centum epigrammata tristicha aenigmata; cui editioni adjecta est dissertatiuncula contra Nic. Nurrium, librum de Mortibus Persecutorum Lactantio abjudicantem, itemque symbola critica ad Lactantium, ed. Christ. Aug. HEUMANNUS, Hannoverae, apud Nic. Foersterum, 1722.

*Carmen de phoenice* ad Codd. quosdam MSS. antea nondum collatos veteresque editiones recensuit et cum lectionis varietate edidit ADOLPHUS MARTINI, Phil. Dr. Lunaeburgi, apud Heroldum et Wahlstabium 1825.

Ad *secundarios* fontes refero auctores, qui de Lactantio quaedam scripta protulerunt, quo pertinent:

JOH. AUG. KREBS, dissertatio de Stilo Lactantii Firmiani, continens pag. 32. ed. Halae Magdeburgicae 1702, in 4°.

MATTH. NIC. KORTHOLT, diss. de Cicerone Christiano Lactantio. Giessae 1711, in 4°.

M. JOACH. JUST. RAU, Diatribe historico-philosophica de Philosophia Lucii Caccilii Lactantii Firmiani, ed. Jenae 1733, in 8°.

FRID. WILHELM. PH. AMMON, Diss. L. Coelii Lactantii Firmiani opiniones de Religione in Systema redigens, sectio prima, continens pag. 55; ed. Erlang. 1820, in 8°.

H. J. SPIJKER, Diss. de Pretio Institutionibus Divinis Lactantii statuendo, continens pag. 134, ed. Lugduni Bataavorum 1826, in 8°. (lectu dignissimum opus.)

LOUIS HAUSSKNECHT, *Etudes sur Lactance*, Thèse présentée à la Faculté de Theol. Prot. de Strasbourg, continens pag. 20; ed. Strasbourg 1837, in 4°.

HENR. JUL. ALT, *Diss. de Dualismo Lactantiano*, continens pag. 32; ed. Vratislaviae 1839, in 8°.

CHR. FRED. JACOB, *Lactance considéré comme Apologiste*. Thèse rlqq., continens pag. 30; ed. Strasbourg 1848, in 8°.

JACOB HENRY BROOKE MOUNTAIN, B. D. — *A Summary of the Writings of Lactantius*. London 1839.

TH. PRESSEL, in *Herzog's Real-Encyclopaedie für Protestantische Theologie und Kirche*, vol. 8; ed. Stuttgart und Hamburg 1857.

DR. OVERLACH, *die Theologie des Lactantius*, in *programmatae Gymnasii Fredericiani*; ed. Schwerin 1858, apud Dr. F. W. Baerensprung. 1)

Nec non de Lactantio in suis operibus speciatim egerunt viri doctissimi:

NATHANIEL LARDNER, *On the Credibility of the Gospel History*, vol. II, pag. 257, Chapt. LXV. Londini 1815, in 4°.

DU PIN, *Nouvelle Bibliothèque des Auteurs ecclesiastiques*. ed. Parisiis 1690, 8 vol. in 4°.

TILLEMONT (LENAIN DE), *Memoires pour servir à l'histoire ecclesiast. des 6 premiers siècles*. Brux. 1706—19, 8 vol. in 4°.

---

1) Exstat quoque *Anthologia*, Lactantii Firmiani elegantissimas sententias, casque tam pietate quam doctrina illustres complectens, per THOMAM BECONUM, ed. Lugduni 1538, in 8°.

- GUL. CAVE, in *Historia litt. scriptorum eccl.*, (etiam in *Kerkelijke oudheden*) ed. Ultrajecti 1698.
- FLÜGGE, *Geschichte der Theol. Wissenschaften*. vol. I. Halae 1796.
- F. W. GOLDWITZER, *Patrologie verbunden mit Patristik*. vol. I. ed. Norimburgae 1834.
- J. A. DORNER, *Entwicklungsgeschichte der Lehre von der Person Christi*, vol. I, pag. 777. ed. II. vol. Berolini 1851, apud Gustav Schlawitz.
- J. CHR. F. BÄHR, *die christlich-röm. Theologie*.
- BEUGNOT, *Histoire de la destruction du paganisme en occident*, vol. I, pag. 121.
- HOEFFER, *Nouvelle biographie générale*. Tom XXVIII, pag. 611.

*Quibus autem potius quam vobis, praeceptores de me tantopere meriti! huncce libellum tanquam grati animi testimonium dicarem? Tibi, imprimis, Vir nobilissime, DE KOCK, pueritium annorum meorum dux! cui studiorum eorumque theologorum amorem debeo, gratias quam maximas hac occasione palam ago pro tua cura et caritate erga me. Nomen tuum ad memoriam revocare sane mihi semper suave erit et nunquam emolumentum obliviscar, quod tua egregia institutione atque admonitionibus acquisivi. Utinam Deus. O. M. tibi laborem, mihi ac tot aliis impensum, in gaudium tuum discipulorumque salutem haud uno nomine remuneret. — Eandem quidem ob causam vobis, viri clarissimi, HEYNS, DALE et*

CHILDE, mei in Athenaeo Austro-Africano Praeceptores! hasce studiorum meorum primitias offerre, gratum mihi munus est. Anni per quos utilissima vestra institutione, tam privata quam publica, frui sum, semper mihi perjucundae recordationi erunt. Vobis quidem debeo quod idoneus factus sim ad studia haud sine fructu persequenda in terra peregrina. Grates dignas vobis persolvere difficile est discipulo meritorum vestrorum haud immemori. Pergatis, quaeso! vestram experientiam, vestram sapientiam, vestramque benevolentiam in me conferre. Vobis, D. O. M. diu conservet corporis animique vires, atque omnes vestros conatus in ecclesiae ac disciplinarum commodum nec non ad juventutis utilitatem coelestibus muneribus coronet, ex intimo corde precor.

Neque aliter vestra erga me merita praedicare suadet cor meum, viri clarissimi, BOUMAN, VINKE et TER HAAR, Theologiae in Ultrajectina Academia Professores! Vobis omnino juxta Deum ea omnia debeo, quae mihi potestatem dederunt publice, ad summos in Theologia capessendos honores, laboris huic disciplinae dediti fructum nunc exhibere. Nunquam me poenitebit illa studia mea, patria relicta, in Nederlandia, vobis ducibus, prosecutum esse. Utinam discipulus possem fieri talium praeceptorum aliquantum non indignus.

Imprimis te singulatim compellare mihi liceat, Clarissime VINKE, Promotor aestumatissime! Animi pergrati

testificationem tibi offero pro tua erga me benignitate, quâ Promotoris partes in te suscipere non recusasti. Tui memoria pro tot signis humanitatis, quam non modo ego sed etiam alii discipuli tui semper experti sumus, mihi dum vitam traho, dulcissima erit. Tuae advenanti senectuti tuus Deus, Pater in Christo, auxilio benignus adsit, et diu te servet in hujus Musarum sedis ornamentum, in ecclesiae salutem et in juventutis utilitatem quam maximam. Nec non tibi, clarissime BOUMAN, professoris muneribus jam defuncte, det Deus O. M. senectutis coronam cum laetitia in Christo Domino tuo, ita ut diu quiete dulci multis frugifera fruaris. Maneas Academiae decus ac diu multumque memoria tui, alterius Ciceronis Christiani, vivat! — Quae beneficiorum memoris cordis vota eadem ratione tibi, clarissime TER HAAR! non exprimere non possum pro tua institutione et pro tua erga me humanitate. Tibi aequè Pater Coelestis vitam in hujus Academiae emolumentum augeat, ut qualem jam poëtae lauream gestas, talem disciplina Theologica tibi haud minorem gloriam praebeat. — Tuum quoque nomen clarissime DOEDES! hic memorare liceat. Quamquam tua institutione academica frui mihi non contigit, tametsi tuam benevolentiam sane expertus sum. Det tibi Pater in Christo etiam nunc multum in honorem Filii perficere atque disciplinae Theologicae esse fulcimentum et stella fulgens.

Antequam autem hoc suavi munere defungor, vobis

etiam gratias agere velim, *Facultatis Litterariae Professores!* quorum pauci (eheu! multi) jam suprema secuti sunt, pro vestra utilissima institutione, qua frui mihi contigit. Ducibus vobis caeterisque collegis omnibus, vivat, crescat, floreat, sole *Justitiae* eam illustrante, alma mea Mater, *Academia Ultrajectina!*

Neque hac occasione silentio praeterire possum nomina illustria virorum clarissimorum ROTHE, HUNDESHAGEN et BÄHR, auctoris „*der christlich-Römischen Theologie*,” in *Academia Heidelbergensi* professorum. Dum antea atque etiam paucis abhinc diebus, valetudinis causa in ea pulcherrime sita urbe cunctabar, mihi contigit egregiis duorum priorum lectionibus interesse, atque alterius frui auxilio in fontibus ex Germania mihi comparandis. Hisce benignitatis testimoniis gratum me publice profiteor. — Haud minora certe vobis debeo, viri doctissimi V. D. HAM. BARGER et KEMINK! pro summa erga me caritate, vobis duobus prioribus speciatim pro institutione, qua frui quod mihi contigit valde gaudeo; viro alteri pro singulari benevolentia qua domum suam mihi, hujus *Academiae* civi eique peregrino, humanissime aperuisti.

Denique me ad vos converto, amici dilectissimi! quibuscum intimam familiaritatem habebam amicitiaeque vinculis adhuc conjunctus sum. Vobis omnibus, amicissimi conjunctissimi! gratias ago pro vestra benigni-



*tate; quod bonum, felix faustumque sit ex intimis medullis vobis exopto. Amicitiae vinculum, in aurea vitae Academicæ ætate contextum, nulla vel locorum vel temporis distantia unquam rumpat. Valetе vos omnes! Amici memores maneatіs!*

„Μόνῳ σοφῷ Θεῷ διὰ Χριστοῦ Ἰησοῦ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας.”

Scripsi Ultrajecti

xix die mensis Decembris MDCCCLX.

# CONSPECTUS.



## PARS PRIOR.

### LACTANTII VITA ET SCRIPTA.

#### CAPUT I.

LACTANTII VITA . . . . .	pag. 1.
--------------------------	------------

#### CAPUT II.

LACTANTII SCRIPTA . . . . .	14.
§ 1. Praemonenda . . . . .	14.
§ 2. Scripta, quae jam exstant, quorumque authentia ab omnibus agnoscitur . . . . .	15.
§ 3. Scripta, quae a plerisque spuria habentur . . . . .	28.
§ 4. Scripta quae non exstant . . . . .	34.

#### CAPUT III.

CHARACTER EORUM SCRIPTORUM, QUAE AUTHENTICA HABENTUR AC MAJORIS MOMENTI SUNT. . . . .	36.
Praemonenda . . . . .	36.
§ 1. Eorum character apologeticus. . . . .	37.

§ 2. Eorum eruditio . . . . .	pag. 45.
§ 3. Eorum eloquentia . . . . .	51.

---

P A R S A L T E R A.

DE LACTANTIO THEOLOGO EJUSQUE THEOLOGIA.

CAPUT I.

LACTANTII OPINIONES DE RELIGIONE EAQUE CHRISTIANA . . . . .	61.
-------------------------------------------------------------	-----

CAPUT II.

LACTANTII RATIO THEOLOGICA . . . . .	68.
--------------------------------------	-----

CAPUT III.

RECENSIO OPINIONUM DE LACTANTIO THEOLOGO . . . . .	76.
----------------------------------------------------	-----

CAPUT IV.

CONCLUSIO . . . . .	91.
---------------------	-----



PARS PRIOR.

LACTANTII VITA ET SCRIPTA.

„Nec enim ab ullo poterit Cicero, quam a Cicerone vehementius  
refutari.”

LACTANTIUS: *Inst. Div.* II. 9.

„Doctrina sed vim promovet insitam,  
Rectique cultus pectora roborant.”

HORATIUS: *Carm.* 1. IV. 4.

## CAPUT I.

### LACTANTII VITA.

---

Qui saeculo tertio ad finem vergente et ineunte quarto, stellae fulgentis instar, in orbe literario apparuit; qui non modo sermonis elegantia orationisque flumine, sed rerum etiam copia et varietate reliquis Ecclesiae Christianae scriptoribus magnopere excelluit, is erat LACTANTIUS<sup>1)</sup>. Quam ob caussam Hieronymus de eo locutus est

---

<sup>1)</sup> „Lactantius inter Christianae veritatis assertores eloquentia maxime illustris”. COELIUS RHODIGINUS: Antiq. Lect. lib. X. cap. XVIII. — „Christianorum omnium facundissimus est Lactantius; sonum habet plane Ciceronianum”. LUDOVICUS VIVES, sub fin. lib. III. de tradend. discipl. — „Lactantius Ciceronis stylum effigiavit, aut, ut quibusdam placet, supergressus est. Mihi videtur rebus et sententiis crebrior, nec minus jucundior, nec fili aequalitate et candore posterior. Has quippe virtutes maximis viribus et acmulatus et adsecutus est”. JOH. FRANC. PICUS MIRANDOLUS: de Stud. div. et hum. philosoph. cap. 7.

acsi de quodam fluvio eloquentiae Tullianae <sup>1)</sup>. Eandem quidem ob causam eo honore affectus fuit, ut a posteris cognominatus sit „Cicero Christianus <sup>2)</sup>.” En quoque causam, cur ejus opera, tempore litterarum reviviscentium tam frequenter lectae multaque eorum editiones se invicem insectae sint <sup>3)</sup>.

Quae nomina LACTANTIO proprie fuerint, aegre dixeris. Lis sub iudice est tam de numero quam de significatione horum nominum. Nonnulli, praesertim scriptores antiqui, eum modo Lactantium seu Firmianum appellare solebant; sic exempli gratia, Eusebius, sic Hieronymus, aliique <sup>4)</sup>. Verum multi codices manuscripti addunt praeno-

<sup>1)</sup> In Epistola XIII ad Paulinum.

<sup>2)</sup> Vide DU PIN: Nouvelle Bibliothèque des Auteurs Ecclesiastiques, pag. 208, ed. MDCLXXX. — TRITHEMIUS de Scr. Ec. cap. 56.

<sup>3)</sup> Vide DU FRESNOY: ed. Lact. op. anno 1748, pag. X. § XVII. in Praefatione. Idem inde ab anno 1461-1739, non minus quam octoginta sex editiones omnium ejus operum enumerat.

<sup>4)</sup> Sic EUSEBIUS CAESARIENSIS in Chronico, IV saeculo. — HIERONYMUS: de scriptoribus ecclesiasticis, V saeculo; idem in Commentar. in Eccles. cap. 10: in Capite 4, Epistolae Pauli ad Ephesios; in Epist. 13 ad Paulinum. — AUGUSTINUS: de civitate Dei I. XVIII, c. 13; — EUCHEBIUS EPISCOPUS V saeculo in Epist. ad Valerianum; — APOLLINARIS SIDONIUS etc.

mina *Lucilium Cecilium* vel *Coelium* <sup>1)</sup>. Accedit quod pleraque scripta a recentioribus librariis ei assignata prae se ferant nomina *Lucium Cecilium* vel *Coelium Lactantium Firmianum*. Cognomen autem *Firmiani* acceperit, ut tradit *Vellejus*, a *Firmo*, agri *Piceni* oppido et antiqua colonia ab *Augusto Caesare* renovata <sup>2)</sup>. *Lactantii* nomen nonnulli putant a *lactea* et suavi dicendi facultate ei additum fuisse. Sed nil certi hac de re historiae monumenta aere perennia nobis tradunt; conjecturâ igitur derivatio horum nominum nititur <sup>3)</sup>. De ejus vita perpauca nobis certissima innotuerunt. Nempe neque ipse *Lactantius* nec scriptores ejus aetatis multa ad hanc rem spectantia reliquerunt. Quae inopia jam patet ex eo quod difficile sit pro certo efficere ubi natus fuerit; nec enim extra controversiam locus est. Nonnulli statuunt eum in vitam introiisse *Firmi* in Italia;

---

<sup>1)</sup> *Monente L. HAUSKNECHT*; *Etudes sur Lactance*. Strasbourg 1837.

<sup>2)</sup> De hoc nomine videatur: *Algemeine Encyclopedie der Wiss. und Kunst von ERSCH und GRUBER*. I. Section XLIII et XLIV.

<sup>3)</sup> Ita *DU PIN*: „on croit qu'il a esté surnommé *Firmien*, en nom de sa patrie, et *Lactance* à cause de la douceur de son discours, cela n'est pas certain," pag. 209 n. a. *Nouvelle Bibl. des Auteurs Eccl.* 1690 ed.



quod tamen est nil nisi mera conjectura. Potius vero ex Africa creditur oriundus <sup>1)</sup>, quia ibi adolescentulum eum invenimus, praeceptore usum Arnobio, Siccae rhetoricam docente <sup>2)</sup>. Cui rei item favere videtur ejus ὁδοιπορικόν sive itinerarium ex Africa usque ad Nicomediam, ut Hieronymus testatur in catalogo scriptorum ecclesiasticorum. Praeterea, quod hanc opinionem valde commendat, nunquam fere Romanorum erat mos Africam petere, ubi artes nobiliores edocerentur; contra vero Africani adolescentuli Italiam petere saepissime solebant, sedem disciplinarum et artium.

Lactantium e parentibus ethnicis magis quam Christianis originem duxisse <sup>3)</sup>, apparet, primum ex tota ejus educatione; nam sine dubio doctrina

---

<sup>1)</sup> Vide BALUZ. annot. ad Lact. de M. P.; TILLEMONT: Memoirs Eccl. Lact. T. 6. P. c. p. 340 et not. 1; HEUMANN Praef. ad Symposium sect. 18, 19, pag. XXIX-XXXI. — Lucilius Coec. Firm. Lactantius war vielleicht in Africa geboren, wo er sich auch zu Sicca des Unterrichts des Arnobius in der Beredsamkeit bediente. FLÜGGE: Geschichte der Theol. Wissenschaften, pag. 233. T. I.

<sup>2)</sup> EUSEBIUS: Epist. 70 ad Magnum.

<sup>3)</sup> „Id a vero non abhorret, eum natum esse de parentibus paganis et a christianis rebus plane alienis”. J. G. WALCHIUS, in Diatribe de Lact. etc. pag. 15.

philosophiaque Ethnicorum imbutus fuit. Cui sententiae haud parum firmitatis additur ex eo quod ipse profanae arti oratoriae se addictum sit professus, quippe qui fateatur se ad argutam malitiam juvenes erudivisse <sup>1)</sup>. Adde, quod sese inter eos enumerare soleat, qui, abjectis erroribus, veram religionem susceperant. Quod facit Div. Inst. lib. 7, capite ultimo, dicens inter alia: „superest, ut exhortemur omnes ad suscipiendam cum vera religione sapientiam, cujus vis et officium in eo vertitur, ut contemptis terrestribus, et abjectis erroribus, quibus antea *tenebamur*, fragilibus servientes, ad aeterna coelestis thesauri praemia *dirigamur*.” Cui sententia revera haud secus favere videtur quod sub Diocletiano Nicomediam accitus est, ubi artem oratoriam doceret. Quam opinionem Gallaeus in ejus vita Lactantii confirmat, nec multo aliter judicarunt Tillemont et Dupin <sup>2)</sup>. Quo autem tempore ad religionem Christianam sit conversus, non constat. Quod autem verosimiliter eo tempore fuit, quo Nicomediae erat litterarum oratoriarum Latinarum professor anno

<sup>1)</sup> Div. Inst. l. l. cap. 1, pag. 5. BÜNEMANNI Ed. Lipsiae 1739.

<sup>2)</sup> DU PIN: Nouvelle Bibl. des Aut. Eccl. pag. 209, n. b.

circiter 290<sup>1)</sup>. Mox enim penuria discipulorum, Graece videlicet magis quam latine loquentium, ad scribendum eum compellat<sup>2)</sup>. Tunc haud dubie occasionem habebat se penitus conferendi ad studia graviora. Titulus philosophi aditum ei praebuit ad principes aulicos, inter quos multi christiani homines erant. Diocletianus nempe, ineunte imperio, mitis erat animo erga Christi assecclas, quare iis libertatem dederat, Nicomediae exstruendi aedem aspectu pulcherrimam. Ratione ergo habita harum rerum du Fresnoy in Lactantii vita putat, Lactantii conversionem ad religionem christianam statuendam esse circa annum 295. Quidquid hujus sit rei, sat nobis constat, illum jam ante inceptam sub Diocletiano persecutionem, anno scilicet 303, coeleste lumen attigisse<sup>3)</sup>. Nam illo potissimum tempore conscribere coepisse videtur *Divin. Instt. libros 7*, ad

---

<sup>1)</sup> „Nicomediae vero demum tinctum sacris verae religionis, quam devotus Christo posthac fortiter defendit; nec dubitamus eam quoque coluisse sincere”. J. G. WALCHIUS, in *Diatribae de Lact. vit.* pag. 15, in fine.

<sup>2)</sup> G. CAVE: *Scriptorum eccl. hist. litt.* pag. 161.

<sup>3)</sup> It must certainly have taken place sometime previous to A. D. 303, for he was undoubtedly a confirmed Christian at the period of the Diocletian persecution: MOUNTAIN'S *Summary of the Writings of Lactantius*, pag. XIII in fine, ed. 1839. London.

defendendum veram religionem refutandosque hujus accusatores importunos<sup>1)</sup>. Horum nunc accusatorum praecipue duo sacrilega opera sua publici juris fecerant, ineunte odiosa crudelitate Diocletiana, distincte testante auctore, dicente: „Ego cum in Bithynia oratorias litteras accitus docerem, contigissetque, ut eodem tempore Dei templum everteretur, duo exstiterunt ibidem, qui jacenti atque abjectae veritati, nescio utrum superbius an importunius, insultarent”<sup>2)</sup>. Et fere statim paulo post haec verba sequuntur: „Ii ergo, de quibus dixi, cum praesente me ac dolente, sacrilegas suas explicassent; et illorum superba impietate stimulatus, et veritatis ipsius conscientia, et (ut ego arbitror) Deo; suscepi hoc munus<sup>3)</sup>.” Ac quis nescit unum eorum fuisse Hieroclem, Bithyniae praesidem, qui et auctor imprimis et consiliator excitandae persecutionis fuit<sup>4)</sup>? Nonne duos

---

<sup>1)</sup> Div. Inst. lib. V. cap. 3, 4; Andreas Gallandius: Bib. V. P.

<sup>2)</sup> Div. Inst. l. 5. c. 12.

<sup>3)</sup> Div. Inst. lib. 5. pag. 580, ed. Bunemanni.

<sup>4)</sup> It is clear, however, that he points at Hierocles, who extolled the juggling tricks of Apollonius of Tyanus above the miracles of the Gospel etc. Vide MOUNTAIN'S Summary of the Writings of Lact. pag. 63 in medio.

sane libellos, quos *λογοὺς φιλαληθεῖς πρὸς τοὺς χριστιανούς* inscripsit, composuerat<sup>1)</sup>? Quorum praesertim mentionem fecit auctor cap. 3, lib. V Institutionum Div., quorumque contra scriptorem haud paucis verbis Christianae religionis causam vindicare studuit<sup>2)</sup>. Quibus omnibus rebus nobis constat, Lactantium sine dubio jam ante annum 303 Christianum fuisse.

Quisnam praeclari hujus viri pater materve fuerit, vel quos propinqua cognatione attigerit, non elucet ex historia, hancce rem silentio praetercunte. In Epitome quidem mentionem facit Pentadii fratris, sed quo sensu hoc intelligendum sit, utrum ei frater sanguine fuerit, an solum amore christiano, plane ignotum est. Eum autem a prima aetate litteris humanioribus imbutum fuisse non dubitari potest. Hujus rei enim testimonium adest, primum scilicet ingenii monumentum: Symposium, quod, referente Hieronymo, adolescentulus scripsit. In quibus studiis Arnobio praceptore<sup>3)</sup>, viro eruditissimo, usus est, quem tanta indu-

<sup>1)</sup> Videtur FLÜGGE: Geschichte der Theol. Wiss. vol. 1. pag. 66. Halle 1796 ed. — G. CAVE: Script. Eccl. Historia litteraria, pag. 161.

<sup>2)</sup> Inst. Div. lib. 5, pag. 588, ed. BÜNEMANNI.

<sup>3)</sup> HIERONYMUS, de vir. ill. c. 80, videtur.

stria acmulatus est, ut magistrum non solum aequaverit, sed superaverit quoque dicendi suavitate. Ac quamquam eloquentiae operam dedit rhetoricamque posthac docuit, forum nunquam attigit <sup>1)</sup>. Sed, primum, ipso fatente, juvenes erudiebat <sup>2)</sup>; deinde propter penuriam discipulorum ad scribendum se contulerat <sup>3)</sup>, susceptaque vera religione, manum imposuit iis insignibus monumentis, quorum pleraque adhuc habemus et quae revera ornamenta sunt in templis litterarum.

Nicomediae rhetoricam docuit <sup>4)</sup>, quo imperante Diocletiano, qui hanc urbem Romae aequipollentem reddere voluit, cum Flavio Grammatico advenerat. Sic enim Hieronymus nobis narrat. Hac in urbe versabatur per totum decennium, quo saeviit crudelis persecutio in Christi assecclas <sup>5)</sup>. Quid,

---

<sup>1)</sup> Div. Inst. l. 3, cap. 13, sect. 12, ed. NÜNEMANNI, ubi auctor dicit: „tamen eloquens nunquam fui, quippe qui forum ne attigerim quidem.“

<sup>2)</sup> In Div. Inst. lib. I. Praefatione, ed. NÜNEMANNI.

<sup>3)</sup> HIERONYMUS: Catal. script. eccl.

<sup>4)</sup> Vide Encyclopaediam Britannicam, 8<sup>va</sup>m. edition. Tom. XIII, pag. 148.

<sup>5)</sup> Vide Lactantii Vitam, ed. du Fresnoy, pag. XXI. — „Während der Verfolgung scheint er in Nicomedien gelebt, und bis zum Jahre 313 daselbst geblieben zu seyn.“ FLÜGGE: Gesch. der Theol. Wiss. pag. 235, vol. I.

hac furente, fecerit, vel quomodo ipse christianus vincula mortemve effugerit, non certo constat. Fortasse a principibus ille philosophus habitus est magis quam christianus. Ita enim ipse de christianis loquitur, asserens: „quo philosophi nostrae sectae, quam tuemur instructiores doctioresque in posterum fient”<sup>1)</sup>. Postea, Nicomedia relicta, in Galliam Lactantius profectus est, ut Crispum, Constantini filium natu majorem, litteris latinis erudiret<sup>2)</sup>. Ab eo inde tempore historici, qui aut ipsius Lactantii aut sequentium saeculorum memoriae mandarunt historiam, auctorem nostrum silentio praetermittunt et vitam ejus oblivioni tradunt. Illustris viri tamen rebus gestis addit Eusebius: adeo pauperem Lactantium fuisse, ut vel necessariis plerumque indigeret<sup>3)</sup>. Quod ipse referre videtur, dicendo: „quam minime sim quietus, etiam in summis necessitatibus, ex hoc libello

---

<sup>1)</sup> Vide lib. de Opif. Dei. cap. 1, initio.

<sup>2)</sup> The care of his education, or at least of his studies, was intrusted to Lactantius, the most eloquent of the christians; a praeceptor admirably qualified to form the taste and to excite the virtues of his illustrious disciple. GIBBON: Decline and Fall etc. pag. 250 in medio.

<sup>3)</sup> Vide EUSEBII Chron.

poteris existimare" <sup>1)</sup>). Sed non immerito quaeritur quomodo haec egestas intelligenda sit <sup>2)</sup>). Quomodo Constantinus, princeps liberalis, pati potuerit filii praeceptorem tanta in egestate vitam degere? Alii igitur putant eum caruisse rebus familiaribus; alii vero eum Nicomediae, tempore crudelis persecutio- nis ad paupertatem redactum fuisse. Sed talis Lactantii egestas, si unquam eo plane sensu eum pres- erit, gravissime certe ursit, antequam Crispi juve- nilem aetatem artibus nobilioribus informaverat. Postea vero, dubito an alio sensu intelligenda sit, quam de ejus voluntario humiliter vivendi modo; quam opinionem etiam du Pin et Tillemont amplexi sunt <sup>3)</sup>). Nam discipulus Demetrianus sa- tis dives erat ut magistrum, quocum intima

<sup>1)</sup> Ira Dei. cap. 1, initio.

<sup>2)</sup> The poverty of Lactantius may be applied either to the praise of the disinterested philosopher, or to the shame of the unfeeling patron. GIBBON: Decline and Fall etc. pag. 250. Vol. II. in nota. (Bohn's British Classics).

<sup>3)</sup> Mais cette seule circonstance rapportée dans la chronique d'Eusèbe est un grand et magnifique éloge, et nous doit donner une haute idée de sa piété. Car il faut être bien vertueux, pour vivre pauvrement à la cour, pour se passer des choses nécessaires au milieu d'abondance, et pour ne point goûter les plaisirs, quand on est parmi ceux, qui y sont plongez. DU PIN: Nouvelle Bibl. pag. 205, ed. 1690.



necessitudine junctus fuisse videtur, de vita talis miseriae detinere eique succurrere potuisset<sup>1)</sup>? Ubinam erat Constantinus Magnus in omnes beneficus? ubi discipulus optimus Deoque carus<sup>2)</sup>? Igitur mihi videtur hoc sane spectare ad vitam humilem modestamque secundum Evangelii praecepta; quod ut scriptor quidam dicit „integritatis et innocentiae argumentum est.” Religionem, quam defendit, sincere quin coluerit neque ego dubito. Accedit quod semper laudes effundere in paupertatem Evangelicam solebat. Quare discipulum continue monebat, ne oblectamenta terrestria pro magnis et veris bonis haberet, quae non tantum fallacia erant, verum etiam invidiosa, secundum magistri saltem effata. Imo, ecce causam, cur dignitates, cur honores, cur mortalia alia bona contempserit.

Quo denique anno vel qua in urbe diem supremum obierit Lactantius, incertum omnino est. Nonnulli tradunt eum Treviris non modo extremam degisse senectutem, verum etiam morti suc-

---

<sup>1)</sup> Videtur nempe Demetrianus in republica muneri alicui publico praefuisse. Conf. Opif. Dei. pag. 1116. BÜNEMANNI. ed. Lact. operum omnium.

<sup>2)</sup> Testante Eusebio.

cubuisse, circa annum 330<sup>1)</sup>. Hac in urbe nempe Crispus, ad quem ex Asia in Galliam praeceptor missus fuerat, diu morabatur. Igitur monumentis historicis nobis deficientibus, vitae describendae finem faciamus viri, omnium suo tempore sane eruditissimi, attamen tantae modestiae, ut nusquam in suis scriptis nobilissimi muneris, Crispi, Constantini magni filii, erudiendi meminerit.

---

<sup>1)</sup> Vide Lactantii vitam a TH. PRESSEL in Herzog's Real-Encyclopedie für Protestantische Theologie und Kirche, pag. 158, 8<sup>ter</sup> Band. Stuttgart und Hamburg, ed. 1857.

## CAPUT II.

### LACTANTII SCRIPTA.

---

#### § 1.

#### *Praemonenda.*

Nunc nobis propositum est agere de Lactantii scriptis. Nec pauca sane litteris mandavit auctor noster, quae injuria temporum interierunt; nonnulla vero etiam nunc exstant quasi monumenta aere perennia, quae neque annorum series neque fuga temporum diripere potuerunt. Eorum omnium catalogum, qui magni est momenti ad authenticam operum Lactantio tribuendorum efficiendam, Hieronymus nobis servavit. Dicit scilicet: „Habemus ejus *Symposium*, quod adolescens scripsit Africae, et ὁδοιπορικόν de Africa usque Nicomediam, hexametris scriptum versibus; et alium librum, qui inscribitur *Grammaticus*; et pulcherrimum de *Ira Dei*; et *Institutionum Divinarum* adversus gentes libros

*septem*; et ἐπιτομὴν ejusdem operis in libro uno acephalo; et ad *Asclepiadem* libros duos; de *Persecutione* librum unum; ad *Probum Epistolarum* libros quatuor, ad *Severum Epistolarum* libros duos; ad *Demetrianum*, auditorem suum, *Epistolarum* libros duos; ad eundem *de Opificio Dei*, vel *formatione hominis*, librum unum”<sup>1)</sup>.

Idem Honorius facit, saeculo XII, paucis tamen verbis discrepans ab antecedentibus<sup>2)</sup>. Praetermittit enim *Symposium* atque *Epitomen*, ac loco *duorum* ad *Demetrianum septem librorum* mentionem facit, quod nihilominus haud multum facit ad rem gravissimam solvendam, quoniam negligenter transcripsisse haec opuscula videtur.

Quae Lactantii scripta omnia dividimus:

- 1°. In ea, quae jam exstant, quorumque authenticia ab omnibus agnoscitur;
- 2°. in ea, quae spuria habentur;
- 3°. in ea, quae non exstant.

## § 2.

Primum, igitur, nobis disserendum est de iis

<sup>1)</sup> Vide Hieronymi Catalogum Script. Eccl.

<sup>2)</sup> Idem TRITHEMIUS saeculo XV, addens: alia insuper non

scriptis, quae jam exstant, authenticaque habentur. Quae eo dare ordine conabimur, quo conscripta sunt.

a. *Liber de opificio Dei*, seu de *formatione* hominis. Huncce eximium libellum auctor dedicaverit Demetriano, quem artem docuerat rhetoricam. Eum circa annum 310 scripsisse videtur tristibus temporibus, quum Diocletianus princeps Romanus erga Fideles saeviret. Quem librum, ni fallor, composuit, priusquam *Inst. Divinas* edidit; quia in hoc scribendo meditabatur quoddam volumen contra philosophos et de iis, quae ad vitam beatam spectent. Quibus omnibus haud dubie indicare voluit suas *Institut. libros septem*; libri enim priores contra philosophos rem agunt, ultimus autem scriptus est de vita beata, atque Apologia est Providentiae, quam ex miranda hominis structura comprobare studuit contra doctrinam philosophorum Epicureorum. Quo in libro primo loco refutat argumenta, quae Epicuri sectatores contra Providentiam Divinam afferre solebant; deinde, ex corporis humani anatome Dei sapientiam potesta-

---

pauca scripsisse dicitur, quae in manus nostras non venerunt. Cap. 56.

temque, quanta fuerit ostendit; et ad metam laboris proventus, disputationem de anima addit. Quae omnia ingeniose egit, etiamsi, ipso fatente, obscurius locutus est, quam decuit. Magis videlicet philosophice rem tractavit; quod tamen Christianum non impedit, quominus praecepta coelestia ex hoc libello haurire possit.

b. *Institutionum Divinarum* libri VII, quibus Lactantii fama maximam partem fundata est. Tempus autem quo haec lucubratio elaborata atque in lucem missa fuerit, saepius in disceptationem vocatum est. Mihi tamen certo certius videtur auctorem huic operi manum imposuisse temporibus sane tristibus, quo christiani homines a Diocletiano vexabantur; idque edidisse circa annum 320<sup>1)</sup>.

---

<sup>1)</sup> Quod etiam voluit ST. BALUZIUS in notis ad librum de Mort. Pers. in secunda Editione. Videatur DU PRESNOY, ed. Lact. oper. vol. II, pag. 278. „Sane, inquit, Lactantius Libros Div. Inst. scripsit firente persecutione, in ipso ejus initio, ut ex capite secundo et quarto l. 5 colligitur; sed non emisit, impeditus videlicet rei et temporis necessitate, ut ipse loquitur in principio libri de opif. Dei.” — Nec aliter LARDNER in ejus Vol. II of the Credibility of the Gospel-history, pag. 263 sensit, dicendo: „And when I read the Institutions, I am disposed to consider them, as a work composed, for the most part at least, under the persecution of Diocletian; though perhaps they were not published till after it was over. It is likely, that others in reading this work, ex-

Quod ipse indicare vult auctor, statuendo, se hoc opus incepisse, quum duo adversarii christianorum exstifissent, suasque litteras sacrilegas explicassent. Quod, testibus historia ecclesiastica ipsoque Lactantio, factum est tempore, quo odiosa crudelitas sub Diocletiano imperatore initium ceperat. Etiam nonnullis in partibus Div. Inst. auctor mentionem facit persecutionis, cui fideles obnoxii erant. Verum, ut opinor, publici juris hos libros tum demum fecit, postquam Bithyniam reliquerat, quod patet ex eo quod dicit lib. 5. c. II: „Ego cum in Bithyniam oratorias litteras accitus docerem te”; nec minus ex sequentibus: „Vidi ego in Bithynia Praesidem”. Quae omnia omnino indicant eum fuisse alio loco, quam ubi sese

---

perience the like sentiments. For some have supposed, that there were two editions of this work; that is, one before that which we now have, with the inscriptions to Constantine; and others, supported by the authority of a good number of manuscript copies, think those inscriptions not genuine. — Idem MOUNTAIN sensit in ejus Summary of the Writings of Lact. pag. 73 in fine. It is, inquit, to be remarked, that Lactantius, throughout speaks of persecution in the present tense, as still going on; from which we may probably infer the correctness of the opinion before noticed, that the work was principally composed some time previous to its publication and dedication to the Emperor Constantine.

scribendo dicaverat. Quam ob rem, ut mihi sane videtur, Lactantius hocce monumentum divulgare non potuit anno 306, quod alii putant. Quare du Fresnoy putet eum hoc edidisse forsitan anno 320 aut 321, quam sententiam multi quoque alii amplexi sunt.

Hoc revera eximium opus scriptor composuit non modo contra duos Christianae religionis adversarios acerrimos, ad quos lib. 5 alludit, sed in genere etiam contra eos omnes, qui doctrinae Jesu Christi jam ante eum repugnaverant vel sua aetate repugnabant. Imo fidelibus succurrere vult, ita ut iis argumenta praesto essent, quibus Ethnicorum errores refellere possint religionisque Christianae veritatem asserere<sup>1)</sup>. Quae lucubratio, constans libris VII, in duas praecipue partes dividi potest. Prior continetur libris I—III, quibus refutatio datur polytheismi et philosophiae; posterior, complectens libros IV—VII, nobis sub oculos

---

<sup>1)</sup> „Sicut prudentes et arbitri aequitatis institutiones juris civilis compositas vulgarunt; quibus dissidentium lites contentionesque sopirent; sic Div. Inst. eo potissimum publici juris fecit Lactantius, ut fidelibus uno quasi intuitu cuncta praesto essent argumenta, quibus gentilium errores revincerent et assererent infractam rel. Christ. veritatem”. Vide DU FRESNOY. Praef. in Lact. pag. IV. vol. I. ed. 1748.



ponit expositionem doctrinae dogmaticae et moralis Religionis Christianae.

Liber I *de Falsa Religione* tractat. In hoc aeque ac in sequenti libro scribendo Lactantii consilium erat exponere falsitatem Religionum Ethnicorum. Quoniam certum est divinam esse Providentiam, ab omnibus fere, praeter scholae Epicureae asseclas, philosophis unanime concessam, incipit auctor a quaestione: Utrum Deus unus sit an plures? Deum unum esse primo loco comprobare studet e Divini Numinis perfectione <sup>1)</sup>; quod idem cum ex Veteris Foederis prophetis, tum ex dictis Poëtarum, Philosophorum et Sibyllarum comprobabat. Tandem, asserta Dei unitate, mythologiam Ethnicorum, sibi parum constantem, explicat, statuendo, eos, qui Deorum quidem gavisii sint honore, nihilominus mortales fuisse ac plerumque homines sceleratos, quorum memoria post obitum consecrata esset.

---

<sup>1)</sup> „Deus, qui est aeterna mens, ex omni utique parte perfectae consummataeque virtutis est. Quod si verum sit, unus sit, necesse est. Potestas enim vel virtus absoluta, retinet suam propriam firmitatem. Id autem solidum existimandum est, cui nihil decedere; id perfectum cui nihil possit accedere”. Div. Inst. l. I. c. 3. „Nam si Deus est summæ potestatis, incorruptibilis esse debet perfectus, impassibilis, nulli rei subjectus”. Ibid.

● Liber II, *de origine erroris*, scilicet humani de rebus divinis, investigat causas hominis lapsus in idolatriam. Quod facit ostendens vanas esse religiones Deorum; quia contra conscientiam est multos Deos agnoscere; quia pugnat cum ratione humana; et nil amplius quam simulacra de terra ficta sunt Numina Ethnicorum, quae signa sunt deorum mortuorum aut absentium aut praesentium. Post haec de origine errorum humanorum rebus in divinis disserit. Primo *in specie* errorum in religione Romanorum, deinde *in genere* omnium errorum originem explicat. Quorum praecipue ultimorum causas esse statuit et Chami et posteritatis Noae fidelis a Deo defectionem et Diaboli insidias.

● Liber III, *de falsa Sapientia*. Prioribus libris refutandae falsae religioni Ethnicorum addictis, Lactantius in hoc procedit impugnatum eorum philosophiam, veritate haud minus carentem. Prima in parte libri de Philosophia disserit, quae, inquit, quia *studium* sapientiae est, ergo non ipsa est sapientia; sapientia enim res est ipsa, quae quaeritur; studium vero quod quaerit; quo studio ad coelestem sapientiam non pervenitur. Neque hoc mirum est, quoniam de rebus intelligibilibus philosophi ni-

hil scire potuerunt, nisi quod divina patefactione cum hominibus communicatum sit. Deinde probare studeat quibus quantisque in vanitatibus viri illi versati sint; exempli causa, e placitis Epicuri, Stoicorum, Pythagorae aliorumque. Tertia in parte rursum arguit philosophiam non esse sapientiam, quia a nonnullis tantum ad philosophos restringitur, neque potest efficere, quod vera religio sane efficit, ita ut ex iracundo placidum faciat atque ex aliis alios. Imo, philosophi ipsi professi sunt se insipientes esse. Quibus omnibus comprobatis concludit auctor, statuens: „omnis sapientia hominis in hoc uno est, ut Deum cognoscat et colat; in qua doctrina una quidem spes homini, una salus est.”

Liber IV, *de vera Sapientia*. Hoc in libro auctor expositionem doctrinae Christianae, quam auctoritatis rationisque argumentis comprobare studeat, nobis sub oculos ponit. In exordio cloquenti demonstrat philosophos divina providentia derelictos veritatem scire non potuisse, quam extra fines quaesiverint, neque ab Judaeis acceperint. Quod non mirandum est, siquidem apud Christianos solos, a quibus unus verusque Deus O. M. colitur, sapientiae cum religione vinculum inve-

niri potest. Quo facto, prosequitur institutionem de Christo, hominis Servatore, complectentem doctrinam de ejus cognitione, persona et nativitate. Porro de ejus naturis duabus, de ejus rebus gestis hac in terra, passione et crudeli crucis morte. Deinde respondere conatur ad quaestionem: quomodo, quum Deum unum nos colere fatemur, duas tamen statuimus esse personas, Deum nempe Patrem et Deum filium. Quae omnia concludit deserendo de haeresium caussis, quas variis rationibus hominis corruptorum et pravorum morum attribuit.

Liber V, *de Justitia*. Auctor sibi proponit hoc in libello ostendere Ethnicos minime veram justitiam possidere, eamque solam apud Christi sectatores inveniri posse. Quod ut faciat, primum, caussas hujus susceptae lucubrationis reddit, quae eo redeunt ut errantes a via mala revocari possint, titubantes in fide confirmari. Idque eo magis necessarium erat, quo minus hactenus eleganter ac secundum temporis rationes de religione Christiana scriptum esset, doctorumque egestas quosdam provocasset ad scribendum contra hanc eximiam religionem. Inter quos praesertim is erat, qui duos istos libros composuerat, quibus

Sacrorum Scriptorum falsitatem arguere studuit. Post haec doctrinam de justitia vera scriptor exponit, quam aureo statuit saeculo fuisse, quo unum Deum homines colebant; sub Jove autem id mutatum esse atque omnes a vera religione descivisse. Per Christum tantum Justitia, i. e. Dei Unici religiosus piusque cultus hac in terra rediit. Quare magnus error est persecutione afficere eos, qui huncce cultum profitentur. Quum enim erroribus obnoxii essent, magis oportet ratione et hortamentis, quam vi et tormentis eos de malo revocare. Imo, ethnici adversus christianos insaniunt, quoniam veritas penes hos est, quam crudelitatem Deus omnino permittit ut eorum fidem probet, sed nunquam ut persecutores impune effugiant.

Liber VI, *de Vero Cultu*. Nunc orationem Lactantius persequitur docendo, quo modo numen divinum rite colendum sit; idque egit componendis inter se dissimilitudinibus et veri et falsi cultûs Dei. Statuit Ethnicismum falsum esse, quippe quod mens colentis se Deo sinceram immaculatamque minime dicet. Ut autem adest cultus verus et falsus, ita quoque via duplex est; una quae in coelos fert, altera quae ad inferos ducit. Philosophi priorem illam viam frustra quaesiverunt;

quia neque cognoverunt Deum boni auctorem, neque Daemonem mali fabricatorem. Lex Dei sola nobis eam monstravit, continens duo principia primaria, nempe principium pietatis, quae eo tendit, ut Deum veneremur; et principium humanitatis, quae virtus nos cum homine conjungit, et docet tum misericordiam tum alterum alteri succurrere. Deinde *de passionibus* tractat, disserendo contra philosophos misericordiam non esse vitium, sed virtutem; metum et cupiditatem virtutes esse, si ad coelestia referantur. Postquam etiam viam justitiae monstraverat, auctor statuit, sacrificare se Deo si quis voluerit, eum oportere Deo offerre integritatem animi et nominis divini laudem.

Liber VII, *de Vita beata*. Ethnicorum falsa religione, ipso fatente, refutata et probata veritate, Lactantius eximium suum opus dissertatione de vita beata concludit. Idque facit, primum, indagando praemium beatitudinis perpetuae, confutatis Platonis et Aristotelis opinionibus de mundi aeternitate. Deinde de immortalitate animae disserit atque explicat, quatenus hominibus beatitudo tribuenda sit, constituto tempore, quando locum habitura sit. Quo facto, de fine mundi verba facit, ac demonstrat quae signa tum remotiora,

tum propiora eum praecessura sint. Postea de ultimo iudicio sermo est et de fidelibus hac in terra per mille annos regnantibus. Tunc vero speciatim de tempore finis mundi agit; nec minus de iis, quae, ipso sentiente, exactis mille illis annis, futura sint. Quae omnia concludit hortando homines, tam universos quam singulos, ut abjectis deorum cultibus, verum Deum vencrentur, qua ratione solum poenas futuras effugere possint.

c. *De Ira Dei*, qui Donato inscribitur. Hunc libellum docto pariter et eloquenti modo conscripsit auctor, ita ut Hieronymus quasi „Epitomen Dialogorum Ciceronis” eum haberet <sup>1)</sup>. In eo Lactantius doctrinam Stoïcorum et Epicureorum ratione habita Irae Dei refellit. Nam illi, quod commune, testante Cicerone, omnium philosophorum erat, contendebant nunquam neque irasci Deum nec nocere. Sequitur inde, Eum in homines tantum beneficia conferre, poena eos afficere non posse. Hi contra docebant Divinam naturam tranquillam solum esse et ab omnibus animi pertur-

---

<sup>1)</sup> „Firmianus noster librum de Ira Dei docto pariter et eloquenti sermone conscripsit, quem qui legerit, puto ei ad irae intellectum satis abundeque posse sufficere.” Hieron. Comm. in Ephes. cap. IV. v. 26.

bationibus longe remotum, imo, ab omni agendi ratione. Deum igitur otiosum praedicabant, qui nunquam res mundanas curat. Quas opiniones scriptor acute refellere conatur, demonstrando Deum summe justum poenas imponere sceleribus ob malam hominum mentem eorumque delicta; sicuti bene merentibus promissa impertitur munera. Quam doctrinam non ratione solum, sed argumentis etiam undique acquisitis comprobare studet. Quibus rebus tandem addit conclusionem paraeneticam, qua omnes hortatur ut Deum ament, quod pater; eumque venerentur, quod Dominus sit.

d. *Institutionum Div. Epitome*<sup>1)</sup>. Qui liber non statim post editas Inst. Div. conscriptas fuisse videtur, verum post cujusdam temporis intervallum. Quod auctor ipse indicat, dicens: „quamquam Divin. Inst. libri, quos *jam pridem* ad illustran-

---

<sup>1)</sup> Tempore Hieronymi maximam partem truncata fuisse videtur: nam ille eam describit „*ἐπιτομὴν* ejusdem operis in libro uno acephalo.” Eadem ratione venit ad manus recentiorum, donce Cl. CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIUS eam fere integram invenit in Bibliotheca Regia Taurinensi atque edidit anno 1712 Parisiis. Praecipua, quae ad hujus codicis descriptionem pertinent, ex illius dissertatione praeliminari ad Epit. Inst. Div. hauriri possunt. Defuerunt olim hujus Epitomes praefatio, cap. I-XIV et cap. XX-LV. (Vide FLÜGGE: *Geschichte der Theol. Wiss.* pag. 238 in fine, vol. I).



dam veritatem religionemque conscripsimus, ita legentium mentes instruant, ut ne prolixitas pariat fastidium, neque oneret ubertate." Quare du Fresnoy opinatur eum anno 325 in lucem fuisse missum. Eum auctor confecit, postulante Pentadio fratre, in eo exhibens summarium Div. Inst. librorum VII. Quam ob causam nonnullas res silentio praeteriit, dummodo plurimas illustrandi et explicandi gratia interdum adiecit.

## § 3.

*Scripta, quae a plerisque spuria habentur.*

Sunt nempe sequentia opuscula, de quorum authenticitate a plurimis graviter dubitatur:

- a. Liber de Mortibus persecutorum,
  - b. Symposium,
  - c. Carmen de Phoenice,
  - d. Carmen de Paschate,
  - e. Carmen de Passione Domini.
- a. *Liber de Mortibus Persecutorum* <sup>1)</sup> cuidam

---

<sup>1)</sup> Hunc librum antea ignotum STEPHANUS BALUZIUS primus anno 1679 in secundo volumine Miscellaneorum in lucem misit postquam ex vetustissimo codice Bibl. Colbertinae eum produxerat. (Un traité de la mort des persécuteurs, publié pour la première

Confessori nomine Donati inscriptus est, qui furente Diocletiana persecutione, multis tormentis subjectus, adversarium gloriosa confessione vicit.

fois par Baluge, d'après un manuscrit de la Bibliothèque de Colbert, et réimprimé à Utrecht, in 8<sup>o</sup>. en 1673. Vide Encyclopaedie ou Dict. Un. rais. d. Cou. Hum. tom. XXV. pag. 457). Neque, testante CELLARIO, in alio codice adhuc repertus est. De authentia hujus libri viri docti dissentiunt atque in utramque partem multum disputarunt. ANDREAS GALLANDIUS opinatur eum esse eundem cujus Hieronymus mentionem fecit in Catalogo. Neque aliter BALUZIUS sensit et NICOLAUS DE LESTOCQ, Doctor Sorbonnensis (cf. etiam HEUMANNUS in Act. Erud. Lips. An. 1711, pag. 470), qui contra LE NOURRY disquisitionem suam edidit. Contra, doctissimus LE NOURRY, qui ex M S<sup>to</sup> huncce librum denuo edidit, Lactantio hunc librum plane abjudicavit, et cuidam LUCILIO CECILIO tribuit. Eum secutus est Cl. PFAFFIUS, in laud. ad Epitomen Lactantii dissertatione; neque aliam sententiam NATHANIEL LARDNER, Theol. doctor, amplexus est, alique critici. (Cf. WALCHIUS in suis ad Lact. Operum editionem Prolegomenis; CLERICUS etc). Ob praecipua nempe argumenta, de hujus libri authentia graviter dubitatur. Primum, ob externa haec:

a. In M. S. Colbertino hoc opusculum Lucio Cecilio adscribitur, neque in eo unquam Lactantii mentio facta est.

b. Titulus libri a BALUZIO editi differt ab eo, qui in Catalogo Hieronymi invenitur; nam auctor ille de *Persecutione* locutus est; non de *Mortibus Persecutorum*.

Secundo loco, ob interna haec:

a. Liber de mortibus Persecutorum inscribitur Donato, *Confessori*, qui sub persecutione Diocletiana vehementer vexatus est. Lactantius omnino librum de Ira Dei cuidam Donato amico dicaverat, qui liber post persecutiones scriptus fuisse videtur; verum in eo nusquam Donatum *Confessorem* nominat. Profecto de viro locutus

Qui liber fere creditur conscriptus fuisse post odiosam crudelitatem. Atque ejus consilium est descriptionem dare miserabilis exitus eorum principum, qui tales vexationes adversus christianos excitaverant. Nec minus demonstrationem judiciorum Omnipotentis in illorum conamina everte ndae verae religionis exhibet. Quae omnia auctor peragit, initium faciens inde a morte Servatoris usque ad Diocletianum, cuius immanes res gestas una cum caussis praecipue enarrat. Item mortem reliquorum tyrannorum, qui conjunctim cum eo ecclesiam maxime vexaverant, depingit, quorum persecutiones accurata descriptione litteris mandavit. Contra, ostendit quanta cura Deus

---

est, ut de aliquo cui adhuc institutione doctrinae Christianae nec minus aedificatione opus erat. (Vide de Ira Dei. cap. 1).

b. Stylus minime Lactantianus est, ut facile periti harum rerum agnoscent. — „Non hic eam eloquentiae dicendique vim, non eum orationis florem, verborumque copiam inveneris, quae passim in Epitome apparet; cum e contrario Lucii Caecillii stylus sit inaequalis, lentus et mediocris.” *PRAFF.* l. l. sect. XI. pag. 15.

c. Multae sententiae characterem aetatis posterioris gerunt. Inter alia praecipue afferri possunt quae cap. 46 et 49 continentur. „It has all the character of the „low latin,” „ill-imitating” the manner sometimes of one ancient author; sometimes of another; and intermingling a strange variety of barbarous phrases and Gothic idioms.” *MOUNTAIN'S Sum.* pag. 147.

optimus maximus favorem suum retulerit in principes eos, qui mitibus animis erga fideles erant. Quo in libro etiam innotuerunt res gestae ante ignotae, praeter quas multae aliae illustrantur. Attamen pauca vel potius nihil in eo traditur de doctrina Christiana.

b. *Symposium*<sup>1)</sup>. Quod secundum Hieronymum Lactantius scripserit, cum esset adolescentulus in Scholis Africanis. Continet autem aenigmata hexametris versibus exarata, potiusve sermones conviviales, qui primum divulgati fuerant sub Symphosii v. Symposii nomine, viri plane ignoti. Primus Chr. Heumannus hoc opusculum auctori nostro adscripsisse videtur. Cujus opinio, ni fallor, ex eo orta est quod Nicolaus Caussin, e Societ. Jesu, haec aenigmata prius ediderat sub nomine *Coelii Firmiani*

---

<sup>1)</sup> Recte MOUNTAIN: „It is unnecessary to take much notice of the poems published under the name of Lactantius which are generally admitted to be very clumsy forgeries. Had he been their author, he might be said to resemble Cicero, not only in the elegance of his prose-writings, but in the failure of his „*ridenda poëmata*“. But the verses in question are not merely unpoëtical; they are characterized by all the incorrectness and obscurity of a very low age; nor is there any merit in the thoughts to make amends for the absence of Grace and harmony in the numbers.” pag. 151.

*Symposii Poëtae* <sup>1)</sup>. Veteres autem ea Symposio cuidam tribuebant; quare viri docti fere omnes ac praesertim Fabricius quam minime cum Heumanno faciunt dictumque librum spurium habent.

c. *Carmen de Phoenice*, quod Heinsius et Petrus Lambecius tanquam Lactantii opus agnoscunt. Sed, quamvis ab elegantissimo poëta scriptum fuisse videtur, tamen num Lactantio tribuendum sit graviter dubitatur. Primo, in nullis codicibus antiquissimis invenitur; tum de eo una cum sequentibus nec Hieronymus unquam locutus est, ubi auctoris nostri operum mentionem facit <sup>2)</sup>. Accedit quod magis rationem ethnicam quam christianam redolet <sup>3)</sup>. Quibus rebus Barthius suspicatur Ve-

---

<sup>1)</sup> „Ansam vero arripuit haud dubie HEUMANNUS Lactantio tribuendi haec aenigmata, quod in quibusdam editionibus Coelii Firmiani titulum prae se ferunt; et nomen poëtae, qui *Symposius* dicebatur, putavit *Symposium*, i. e. Convivium inscribendum esse. Sic etiam recentiores quidam ediderunt *Sermones convivales*. Attamen eruditi alii omnes, ac praesertim Joan. Albert. Fabricius non abierunt in HEUMANNI sententiam.” DU FRESNOY, *Lact. oper.* vol. II. pag. 251 in nota.

<sup>2)</sup> „Il y a encore trois poëmes attribuez à Lactance, dont St. Jerome ne fait aucune mention, qui ne se trouvent point dans les anciens manuscrits et qui par consequent, suivant toutes sortes d'apparences, ne sont point de lui.” DU PIN: *Nouv. Bibl.* p. 208.

<sup>3)</sup> DU PIN de hoc carmine sic locutus est: Le premier est un

nantii Fortunati esse, Sirmondus autem Theoduli. Neque alias ob rationes du Fresnoy hoc edidit opus sub titulo: „incerti auctoris Phoenix Lactantio tributus.”

d. *Carmen de Paschate* Bünemannus in editione Lactantii operum edidit sub titulo: „Lactantii seu potius Venantii Honorii Fortunati ad Felicem Episcopum de Pascha.” Quod non aliter du Fresnoy fecit, Lactantii nomine relicto, quod Thomasius in Antverpiana editione affirmat. Neque hoc mirum est, quoniam reperitur in operibus hujus viri, testante Codice manuscripto Bibliothecae Vaticanae; quam ob causam Lambecius perperam Lactantio hocce opusculum adscripsisse videtur. Ac non minus ob interna argumenta probari potest alii auctori id tribuendum esse, quia haud convenit cum lingua Lactantiana, eaque rhetorica.

e. *Carmen de Passione*. Non defuerunt, qui hoc carmen Lactantio tribuerint, allecti testimonio Hieronymi testantis, eum arti poëticae se dedisse.

---

poëme touchant l'histoire du Phoenix, dont l'auteur n'est pas un chrétien, mais un païen, qui décrit le deluge d'une manière toute profane, et contraire à la narration de Moïse, et qui parle de Phœbus, comme le reconnaissant pour un Dieu. — Nouv. Bibl. etc. pag. 208 in fine.

Attamen du Fresnoy in editione Lactantii operum incerto auctori tribuit, eandemque opinionem Büne-  
mannus amplecti videtur, additis verbis: „Lactan-  
tio aliquando ascriptum.” Vossius autem cum  
praecedente carmine hoc quoque Venantio tribuit;  
dum plurimi, quamvis de auctore dubitantes,  
Lactantio hoc carmen prorsus abnegant.

## § 4.

*Scripta quae non exstant.*

Adhuc nobis restat, operibus, quae plerumque  
spuria habentur, jam tractatis, paucis verbis attin-  
gere ea scripta, quae non exstant.

Sunt haec :

- 1°. ὀδοιπορικόν.
- 2°. Grammaticus.
- 3°. Ad Asclepiadem lib. II.
- 4°. Ad Probum lib. IV.
- 5°. Ad Severum lib. II.
- 6°. Ad Demetrianum.

Eorum omnium primum Lactantius in publicum  
misisse videtur tempore, quo, imperante Diocle-  
tiano, ex Africa Nicomediam profectus est, anno  
circiter 290. Continuit probabiliter ejus, patria

relicta, itinerarium hexametris versibus conscriptum. Eodem fere tempore, secundum opinionem du Fresnoy, ediderit suum librum, *Grammaticum* nominatum. Deinceps sequuntur duo *ad Asclepiadem* libri, quocum auctor intima familiaritate conjunctus fuisse videtur; nam opusculum quoque suum de Providentia Lactantio dedicavit. Ceterum nihil hujus nominis superest, nec aliunde satis notum est quisnam ille fuerit, cujus fama simul cum operibus oblivionis praeda facta est. Idem fatum subierunt Lactantii Epistolae ad *Demetrianum*, quas saeculo XVI Hadrianus Junius in Egmondani Monasterii Bibliotheca viderit; quae autem mox edaci tempori succubuisse videntur. Atque haud minus, quae est fragilitas omnium rerum terrestrium, deploramus detrimentum librorum IV *ad Probum* et II *ad Severum*.

Praeter hos libros, quos tum exstantes, tum spurios et deperditos commemoravi, liceat verbo attingere ea opera, quae scripturum se pollicitus est auctor, quae verosimiliter autem nunquam exstiterunt. Sic promisit illud *adversus Judaeos*<sup>1)</sup>, cujus mentio nusquam apud veteres scriptores invenitur; ita etiam *disputationem contra omnes mendaciorum sectas*.

---

<sup>1)</sup> Div. Inst. VII. 1.



### C A P U T III.

CHARACTER EORUM SCRIPTORUM, QUAE AUTHENTICA HABENTUR AC MAJORIS MOMENTI SUNT.

---

#### *Praemonenda.*

Ea Lactantii scripta, quae sine dubio authentica sunt ac ratione disciplinae habita, ut jam notavimus, momenti sunt majoris, sunt haec :

- 1°. Institutionum Divinarum libri VII ;
- 2°. Epitome Divinarum Institutionum ;
- 3°. Liber de Opificio Dei seu de formatione hominis ;
- 4°. Liber de Ira Dei.

Quae omnia disciplinae theologicae fontes constituunt, ita ut ex iis hauriri possit, quatenus auctoris opiniones de Religione Christiana fuerint. De illorum characterem nunc nobis propositum est disquisitionem instituere. Igitur, quomodo illa

tam Religionis Christianae, quam doctrinae copia ac dictione distinguantur, sequentia abunde illustrabunt.

§ 1.

*Eorum character apologeticus.*

Quo magis Religio Christiana per orbem terrarum propagabatur, eo majori oppositioni omnium generis subjecta erat. Imo, Jesu Christi verba: *μη νομίσητε ὅτι ἦλθον βαλεῖν εἰρήνην ἐπὶ τὴν γῆν· οὐκ ἦλθον βαλεῖν εἰρήνην, ἀλλὰ μαχαίραν<sup>1)</sup>*, sese implebant, prouti τὸ εὐαγγέλιον in imperio Romano divulgabatur. Quod non mirandum est, siquidem τὸ Φῶς ἐν τῇ σκοτίᾳ φαίνει, καὶ ἡ σκοτία αὐτὸ οὐ κατέλαβεν<sup>2)</sup>. Neque hoc mirum est, quoniam doctrina Christiana sese Polytheismo, hoc tempore vigenti, strenue opponebat, atque avitam religionem Ethnicorum evertere studebat. Itaque imperatores, quum viderent novum cultum Unius Dei exstitisse eumque totius mundi futurum victorem se profitentem, tranquilli manere non potuerunt. Quomodo praeterea philosophi, quum

<sup>1)</sup> Matth. 10: 34.

<sup>2)</sup> Joh. 1: 5.

iis experiendum esset, Scholarum sapientiam praedicatione crucis stultitiam factam esse, silentium tenere potuissent <sup>1)</sup>? Quid! quod populi magis magisque ante oculos habebant sacrificia interrupta atque altaria relictâ, nonne haec omnia tot mala omina novae religioni erant <sup>2)</sup>? Hinc quoque crudeles istae persecutiones Imperatorum, et quam maxime Diocletiani, in Christi sectatores; hinc isti sapientium libelli calumniosi contra homines insontes; hinc populi odium erga pacis studiosos et amantes, originem duxerunt. Quas opiniones suspicaces Christiani, quoad ipsum imperium, obedientiâ legum vitæque integerrime acta; quoad persecutiones autem, constantiâ fidei animique magnitudine avertere conabantur. Quod etiam, ratione habita sanctissimæ suae religionis, a philosophis aliisque sapientibus oppugnatae, fa-

---

<sup>1)</sup> „Quum enim sit nobis divinis litteris traditum, cogitationes philosophorum stultas esse, id ipsum re et argumentis docendum est.” Lact. Div. Inst. lib. III. cap. 1.

<sup>2)</sup> „Les anciennes croyances du polytheisme, et toutes les institutions, qui s’y attachaient, étaient fortement ébranlées. Non seulement les sacrifices furent interrompus et les autels abandonnés, mais tous les rapports sociaux changèrent de face; les lois et les mœurs, les sciences et les arts subirent un changement complet.” HAUSSKNECHT: Etudes sur Lactance, p. 1, Strassb. 1837.

cere studebant strenuis defensionibus, litteris mandatis. Unde in publicum prodierunt *scripta apologetica* primaevorum Christianorum, quorum auctores *Apologetae* cognominabantur. Eorum munus imprimis erat refutare accusationes adversariorum, in quibus rejiciendis simul expositionem fidei hujusque principia praebebant ad veritatem demonstrandam.<sup>1)</sup> Quem quidem characterem scripta Lactantii nobis tractanda distincte prae se ferunt.

Sunt omnino auctoris nostri scripta imprimis maximamque partem rationis apologeticae, idque pro temporum necessitate<sup>2)</sup>. Quo magis enim studium litterarum et philosophia Graeca in orbe

---

<sup>1)</sup> „So wurde denn das Christenthum von allen Seiten angefeindet, bekämpft und bestritten, und musste, wenn es nicht unterliegen wollte, die Vertheidigungswaffen angreifen, jene Angriffe zurückschlagen, und, wenn dies geschehen war, durch Demonstration der Wahrheit und Göttlichkeit seines Inhalts alle künftige Angriffe in Voraus abweisen oder doch unschädlich machen.“ FLÜGGE: Geschichte der Theol. Wissensch., vol. I. pag. 102.

„De werkzaamheid van de Apologeten bestond:

- 1<sup>o</sup>. in de wederlegging van de tegen de Christenen ingebragte beschuldigingen; en . . . .
- 3<sup>o</sup>. het bewijzen van de waarheid en de goddelijkheid van het Christendom.” K. HASE, Kerkgeschied., vertaald in 't Holl., pag. 59.

<sup>2)</sup> „Seine sämtlichen Schriften sind apologetischer Natur.” Vide LACTANTIUS in HERZOG: Real-Encycl. VIII Band, 1837.

Romano vigere nec non diffundi coepit, eo magis Christianis opus erat defensoribus eruditis ac philosophice institutis. Siquidem eloquentia et doctrina Ciceronis, per quem populus Romanus sapientia omnibusque fere studiis Graecorum humaniorum imbuti erant, usque ad aetatem Constantini Magni suam vim atque auctoritatem habere non desierant <sup>1)</sup>. Quin et Christianorum plurimi, iique maxime qui litterarum aliquid attigerunt, philosophis et oratoribus et poëtis nutare coeperunt. „„Instabiles quoque iique incauti animi suavitate eorum sermonis et dulcium carminum modulatione irretiebantur.”” Quibus rebus constat, a nemine potuisse Ciceronem, quam a Cicerone vehementius refutari. Quamobrem necessarium erat ut doctores idonei peritique surgerent, qui non solum errores publicos redarguere, verum etiam causam veritatis ornatè copioseque defendere possent. Neque auctor Instt. ipse aliter sentire visus est, ubi de causis Institutionum Divinarum scribendarum locutus est. Fuerunt sane — sic ratiocinatus est — doctrinae christianae propugnatores, verum eorum defensio temporum rationi non suf-

<sup>1)</sup> Vide Instt. lib. V. cap. I inde a pag. 571—575, ed. NÜNEMANNI.

ficit. Ex iis, qui ei noti erant, fuit Minucius Felix, non ignobilem quidem inter caussidicos locum habens, sed qui ad studium veritatis defendendae se non totum contulit. Septimius quoque Tertullianus in libro apologetico adversus gentes, celebritatem non invenit, quamquam litterarum peritus fuit, quia ejus dicendi scribendique ratio obscura et minus compta fuit. Exstitit quidem Cyprianus, qui et magnam sibi gloriam ex artis oratoriae professione quacsiverat, et admodum multa conscripsit, in suo genere miranda. Verum quamvis ingenio facili, suavi et aperto erat, hic tamen placere ultra verba, doctrinam coelestem ignorantibus, nequit. Neque hoc mirum est, quoniam ejus locutio mystica est ac solis fidelibus perspicua. Argumenta enim modo e fontibus Codicis Sacri haurire solebat, quorum auctoritas apud gentiles non valebat, qui rationis tantum testimoniis cedebant. Quare a viris doctis illius saeculi, quibus forte ejus litterae sacrae innotuerant, plus semel deridebatur<sup>1)</sup>. Igitur, tempore quo homines nihil audire vel legere solebant, nisi expolitum ac disertum; saeculo, cui eloquentia ser-

---

<sup>1)</sup> Vide Inst. lib. V. cap. I. pag. 375, ed. BÜNEMANNI.

viebat, cujus opera melius placerent quam Lactantii? Illius enim scripta, viri magno et excellenti ingenio, doctrinae atque eloquentiae penitus dati, repositis omnibus, ét privatis ét publicis actionibus, veritatis caussâ, sola tali muneri paria sunt.

Ratio apologetica horum scriptorum porro ex eo patet, quod defensionem continent religionis Christianae, non modo contra duos philosophos, qui tempore, quo Dei templum in Bithynia eversum erat, exstiterunt, jacenti atque abjecta veritate superbe, exsultantes <sup>1)</sup>. Exhibent quoque refutationem universalem eorum omnium accusationum, quae hucusque contra sanctissimam Jesu Christi doctrinam objectae erant. Hoc enim enuntiatum ab auctore ipso affirmatur, si spectamus ad ea, quae hac de re charta consignata sunt. „Suscepi, inquit, hoc opus ut omnibus ingenii mei viribus accusatores justitiae refutarem; non ut contra hos scriberem, qui paucis verbis obteri poterant; sed ut omnes, qui ubique idem operis efficiunt, aut effecerunt, uno semel impetu profligarem” <sup>2)</sup>. Siquidem consilium Lactantii operum est impugnare Polythei-

---

<sup>1)</sup> Vide Inst. lib. V. cap. II. pag. 577, ed. bün.

<sup>2)</sup> Vide Inst. lib V. cap. IV. init. ed. bün.

smum et Philosophiam Ethnicorum, ut patet ex prioribus libris tribus Inst. Divinarum. Nec minus eorum fuisse finem refutare errores Epicureorum, qui divinam Providentiam negabant, constat e libro de Opificio Dei, seu de Formatione hominis. Eorum denique propositum fuit, idque eloquenti modo effectum est, falsas opiniones Stoïcorum atque Epicureorum, secundum quos Deo Optimo Maximo ira abneganda sit, refellere. Quibus de rebus videlicet ultimus liber de Ira Dei testatur.

Nec refutationem tantum errorum Ethnicorum haecce scripta nobis praebent; verum etiam expositionem doctrinae Christianae, imprimis in Div. Inst. libris VII, quae inde a libro quarto usque ad finem invenitur. In aliis autem opusculis de ea sparsim egit Auctor. Neque in expositione ejus opinionum his in libris quaerendum est aliquod systema omnibus numeris absolutum <sup>1)</sup>. Non eorum erat τὰ δόγματα Ecclesiae Christianae acute exposita exhibere, sed ea multo magis in

---

<sup>1)</sup> „Quoniam plus operae in falsis refutandis, quam in veris confirmandis posuit Lactantius, ideo pauca fidei nostrae capita plene ab eo sunt exposita; pleraque tantum attigit.” GALLAEUS: in Synthesi doctrinae Lactantii: qua de re vide DU FRESNOY ed. Lact. pag. CXXXIII.



usum lectorum ejus aetatis, contemnentium quod non expositum ac disertum erat, ea forma induere, qua iis commendari potuerint <sup>1)</sup>. Quod Lactantii librorum propositum veritatis caussae perorandae eamque cum aequalibus doctrina institutis communicandi admodum sane idoneum erat. Quare in hujusmodi munere suscipiendo auctor in introductione ad Div. Inst., ubi de fine disputationis tractatur, sequentibus verbis usus est: „quae (caussa nempe veritatis) licet possit sine eloquentia defendi, ut est a multis saepe defensa; tamen claritate ac nitore sermonis illustranda et quodammodo disserenda est; ut potentius in ani-

---

<sup>1)</sup> „Sie haben zum Zweck nicht bloss eine Vertheidigung der christlichen Religion gegen ungerechte Vorwürfe und Angriffe Gegner; sondern auch eine Empfehlung derselben bei ihren heidnischen Widersachern; namentlich bei den gebildeteren Anhängern derselben aus den höheren Classen und aus der Zahl deren, die eine gewisse philosophische Bildung besitzen wollten, mittelst der erforderlichen Belchrung in der Erkenntniss der christlichen Wahrheit, welche die wahre Weisheit sey, ohne die es keine Religion, so wie umgekehrt keine Religion ohne diese Weisheit geben könne.“ Vide LACTANTIUS, in HERZOG Real-Encycl. Band VIII. 1857. — „Il ne peut-être considéré que comme un apologiste, jetant les fleurs de rhétorique sur les doctrines du christianisme pour lui assurer la victoire sur les systèmes usés de la philosophie romaine.“ HAUSSKNECHT: Etudes etc. pag. 9, in med.

mos influat, et vi sua instructa et luce orationis ornata" <sup>1)</sup>).

§ 2.

*Eorum Eruditio.*

Opera Lactantii eo consilio litteris mandata, ut religionem Christianam defenderent, fere ubique enitent magna eruditionis copia. His in operibus nempe non solum vera cognitio thesaurorum coelestis sapientiae praesto est; verum imprimis fere omnium studiorum humanitatis. Quod patet ex magna notitia rerum metaphysicarum illius temporis, qua praesertim mythologia Ethnicorum exponatur ac facile ab auctore impugnetur <sup>2)</sup>. Idem summopere apparet ex philosophiae antiquae peritia, quae quidem eo procedit, ut paene nulla philosophorum secta eum latuerit. Quid plura? Num addere opus est in quantum Lactantii lucubrationes prae se ferant Dei et animorum naturae scientiam; dum auctor ipse imprimis Supremi Numinis unitatem asserere studuit ac disputationem de anima no-

<sup>1)</sup> Inst. lib. I. cap. 1. pag. 6. Ed. BÜN.

<sup>2)</sup> „In Gentilium theologia plurimum valuit.” CAVE: Hist. litt. tom. I. pag. 161, in fine.

bis dedit? An taceam de eo, quod ejus scripta abunde docent ratione habita earum rerum, quae ad mores pertinent? Praeterea physiologiae disciplinae viro tali jam eruditione eminenti, non plane ignotae videntur fuisse; quippe qui in loco de Providentia Dei ex miranda hominis structura eam comprobare conatus sit. Viri eruditionem magis etiam in lucem profert modus, quo res in iis tractatae sunt. Dum aliorum Religionis Christianae defensorum operum character constabat maximam partem arguendis adversariis Sacrae Scripturae testimoniis; Lactantii scripta multo magis pugnant argumentis et ratione adhibendis. Eoque modo adversariorum imbecillitates in ejus libris prudenter impugnantur et falsitates indagatae ingeniose et logice refelluntur<sup>1)</sup>. Ac sic institutus est rerum cognitione modus argumentandi, apologetae eo tempore necessaria. Quod ne ipse quidem auctor celavit, quando, ratione habita temporis, quo scribebat, ipse statuit: „ob eamque causam volui sapientiam cum religione conjungere, ne quid studiosis inanis illa doctrina

---

<sup>1)</sup> „Etiam disseruerit gravius, acutius sapientiusve, quam ratio aevi sui, ejusdemve litteraturae tulit.” J. G. WALCHIUS: Diatribae de Lact. etc. pag. 53 supra.

possit officere, ut jam scientia litterarum non modo nihil noceat religioni atque justitiae, sed etiam prosit quam plurimum" <sup>1)</sup>).

Neque tamen, dum hoc modo viri scripta laude afficiuntur, diffiteri volo hic et illic, praecipue quoad chronologiam, nec non philosophiae disciplinam, errores nonnullos in Instit. irrepsisse <sup>2)</sup>. Quae quidem culpa, ut opinor, facile excusatione tegi possunt, si in mentem revocamus, quantopere adhuc inaccurata litteratura his de rebus eo tempore esse soleret <sup>3)</sup>.

Porro illa rerum cognitionis affirmatio nobis

---

<sup>1)</sup> Inst. lib. V. cap. I. pag. 572 ed. BUN. supra.

<sup>2)</sup> Sic etiam auctoris interpretandi modus hic illic non sine reprehensione est, nam sunt loci citati, qui proprie non ad rem spectant quidem, verum modo accommodantur.

<sup>3)</sup> Sic Lactantius non credidit Antipodas esse. Haec enim ipsius verba propria hac de re sunt: „quid illi, qui esse contrarios vestigiis nostris Antipodas putant? Num aliquid loquuntur? Aut est quisquam tam ineptus, qui credat esse homines, quorum vestigia sunt superiora, quam capita? Aut ibi, quae apud nos jacent, inversa pendere? fruges et arbores deorsum versus crescere? pluvias et nives et grandines sursum versus cadere in terram." Inst. lib. III cap. 24 init. vide etiam Epit. 39. — „Of his chronological and philosophical errors, carefully enumerated by GAL-LAEUS and other commentators, it seems scarcely worth while to take much notice. They prove that the literature of the age was not accurate." MOUNTAIN: Summary of the Writings of Lact. pag. XI in fine.

non miranda est, quum respicimus ad fontes, e quibus auctor in operibus suis conscribendis haurire solebat. Qui enim non modo litterae Sacrae erant, verum etiam scripta aliorum doctrinae Christianae defensorum, atque haud minimam partem Ethnicorum auctorum opera. Quorum primorum Vetus Foedus videlicet ei praebuit historiam hominum primaeavorum atque Israëlitarum narrandam; nec non in vaticiniis adhibendis de hominum Servatore id ei serviit. Eodemque modo libri Novi Foederis, quamquam non adeo frequenter iis usus est, Apologetae Jesu vitam factaque describenda praestiterunt. Praeter illas litteras Sacras his in scriptis adhibuisse eum apparet lucubrationes eorum virorum, qui sese doctrinae coelestis defensione ita distinxerant, ut horum argumenta valerent adaugendam copiae doctrinam in Religione Christiana affirmanda. Sic *Apologeticum* Tertulliani, *Octavium* Minucii Felicis usurpavit<sup>1)</sup>; nec minus cognitos habuit Theophili libros ad Autolyceum<sup>2)</sup>. Neque Cypriani oratio in Demetrianum, nec Asclepiades, Divinae Providentiae

---

<sup>1)</sup> Vide Inst. lib. V. cap. 1. 4.

<sup>2)</sup> Vide Inst. lib. I. cap. 23 init.

vindex ei alicui fuisse videntur. Ac, quod maxime valet ad horum librorum eruditionem vindicandam, paene infinita exterorum hominum opera in iis citata sunt. Non modo scripta multa Romanorum auctorum illustrium, tam poëtarum quam aliorum, sapientia eminentium, verum etiam Graecorum poëtarum et philosophorum. Nam Homeri et Hesiodi carmina aequè ac Platonis Aristotelisque opera in iis adhibita occurrunt<sup>1)</sup>. Haud secus Latinos quod attinet scriptores, cum Virgilius<sup>2)</sup>, et Horatius<sup>3)</sup>, tum Sallustius et Seneca alique, ne dicam Ciceronem, cujus opera diurna nocturnaue manu versata ab eo fuisse videntur, plures quam quos facile recenseas, viri docti erant Lactantio plane familiares ac consueti. Quorum quidem auctorum lucubrationes etiam multo frequentius quam Graecorum adhibuisse videtur. En, igitur, tot subsidia, quae haud parvam doctrinae copiam hujus viri scriptis addiderunt; ita ut multis aequalium monumentis excellerent et doctrinae Jesu Christi defensionem quam plurimum prodesse<sup>4)</sup>.

<sup>1)</sup> Praeterea Lactantius mentionem facit Sibyllarum librorum aequè ac Trismegisti, atque haud paucos locos ex iis affert.

<sup>2)</sup> Inst. lib. V. cap. 9; lib. VII. cap. 24 ac alibi.

<sup>3)</sup> Inst. lib. V. cap. 13 et cap. 17.

<sup>4)</sup> „So groot was zijn geleerdheyt en bedrevcnheyt in de vreem-

Itaque, ratione habita hujus rei, du Fresnoy in sua praefatione non dubitavit testari: „procul dubio vir fuit primarius in re litteraria, propter variam ejus eruditionem dignam homine litterato”<sup>1)</sup>. Eandem quidem ob causam Joh. Franc. Picus Mirandulanus, simulac litterae renasci coeperunt, ubi horum scriptorum auctorem cum Cicerone comparat, non haesitavit eum proponere tamquam rebus et sententiis crebriorem<sup>2)</sup>. Non aliter Coelius Rhodigenus opinatus est, cujus testimonium hac de re huc redit: eum nempe et prudenter et docte non parum multa scripsisse<sup>3)</sup>. Quam ob causam „non ex re putavimus ultra progredi; sat est monuisse neminem inter nostro-

---

de en buyten-studiën (daar hij sich meest op geleyd had), dat mogelijk niemand van de latijnsche schrijvers hem gelijk stond, en hij de Heydenen met hun eygen wapenen so gelukkig konde te keer gaan, dat hij, naar het zeggen van den H. HIERONYMUS, hunne stellingen bequamer konde omverwerpen, als sijne eygene vast stellen en opbouwen.” w. CAVE: Kerkelijke Oudheden, pag. 673 in fine.

<sup>1)</sup> Jam Eusebius testatus est Lactantium esse vere omnium suo tempore eruditissimum. Chron. ad ann. CCCXVIII. — „Vir in saecularibus litteris abundanter doctus, et in divinis scripturis notabiliter institutus, ita ut in arte dicendi post Ciceronem facile obtinuerit principatum.” TRITHEMIUS de Scr. eccl. cap. 56.

<sup>2)</sup> Lib. III. Epistolar. Epistolâ 10.

<sup>3)</sup> Antiquarum Lect. Lib. IX, cap. 12.

rum temporum scriptores esse, qui Lactantii nostri cum laude non meminerit. Quamvis eum non inculpatum omnino habeant eruditi<sup>1)</sup>, ejus tamen multiplicem doctrinam, variam in re profana eruditionem, summam tandem ejus eloquentiam praedicant omnes.”<sup>2)</sup>

§ 3.

*Eorum Eloquentia.*

Haud dubie Lactantii scripta non solum materiae doctrina revera enitent, verum et egregie eloquendi modo quo conscripta sunt. Hieronymus aliique eloquio potentes viri testati sunt eum Ciceronis eloquentiam referre<sup>3)</sup>. Neque hoc ab ali-

---

<sup>1)</sup> „Sed ideo Lactantium non abjiciamus, et mollius interpretemur, si quid quando scripsit incautius, difficulter dediscuntur, quibus a prima aetate adsueti sumus.” J. G. WALCH: Diatribe de Lact. etc. pag. 55. —

„Zijn er in sijne schriften eenige duystere, en onregtzinnige voorstellingen, wat tuyt is 'er, daar geen onkruid in is? bijzonder, als ze van iemand, die in de wildernis, en even uyt de bosschen en struyken voor den dag gekomen is, gebouwd wordt.” W. CAVE: Kerkelijke Oudheden, pag. 673.

<sup>2)</sup> DU FRESNOY in Praef. ad Lact. op. pag. XXVI.

<sup>3)</sup> „Quis apud nos non videat esse Ciceronem, sed Christianum, hoc est aliquem, qui eum ad lineam vivumque expresserit? Quis



quo dubitabitur, nam in vocum dispositione tantam sectatur suavitatem, ut Romani oratoris ingenium ejus locutio redolet. Ac quis post Ciceronem ad hunc modum linguae Romanae tam peritus fuit, quam Cicero Christianus? Num ei abfuit pulchri et venusti sensus, qui ad eloquentiam haud parum requiritur? Omnino Christianorum omnium operum facundissimae sunt Lactantii lucubrationes et sonum habent plane Ciceronianum.<sup>1)</sup> In iis enim invenimus omnia, quae ad talem assertionem affirmandam opus sunt. Ea videlicet, quae bono stylo linguae Latinae requiruntur, his in scriptis in promptu sunt. Distinguuntur profecto quum perspicuitate, tum suavitate et gravitate<sup>2)</sup>.

---

enim non advertit, Lactantium Firmianum aequasse ipsum, et forte praecelluisse in eloquendo?" PICUS MIRANDULANUS: lib. de Hist. div. Phil. c. 7.

<sup>1)</sup> „Le style de Ciceron avait le modèle du sien, même pureté, même naturel, même noblesse, même élégance. C'est ce qui le fit appeler le *Ciceron Chrétien*." Encyclopedie, ou Dict. universel raisonné des connaissances humaines. Tom. XXV. pag. 475. Yverdon. 1773.

<sup>2)</sup> „Ce qui distingue surtout les ouvrages de Lactance, c'est la pureté et l'élégance du style." CHR. FRED. JACOB. Lactance pag. 10, in med. — „Sein Styl ist rein, anmuthig und fließend; oft zierlich und erhaben; man hat ihn nicht mit Unrecht den *christlichen Cicero* genannt." FLÜGGE: pag. 239 supra. — Vide etiam

Perspicuitas quidem in genere tam in rebus quam in verbis Lactantii opera exornat. Ubi enim de rebus, quae a corporis sensu remotae sunt, agunt auctoris monumenta charta consignata, persaepe clare ac lucide hoc factum est. Imo, multi scriptores Germani res philosophice tractantes quoad perspicuitatem horum scriptorum haud parum discere possent. Sic res gestae vividis coloribus describuntur atque ante oculos ponuntur. Neque omittuntur exempla, res illustrantia, quibus eo magis aliquid perspicuum sese habet, quo magis obscurum fuerat. Eodem sane consilio comparationes hic illic iis insertae sunt, quibus res in luce clara exhibentur. Quae omnia revera non mirari non possumus, si in memoriam revocamus, quanta eaque haud pauca philosophice his in scriptis tractata sint <sup>1)</sup>. Accedit quod, quoad verba fere aequae perspicua opera illa sunt. Quare auctor illorum editione celebratus aperte testatus est, puro distingui illa eloquio, perspicuo atque

quae Doct. *SEIJKER*, scripsit in dissert. de Pretio Inst. Div. Lactantii statuendo, pag. 116 etc.

<sup>1)</sup> „Sein Ziel sind mehr die heidnischen Philosophen, und er sucht es durch philosophische und theologische Gründen zu erreichen.“ *FLÜGGE*: l. l. pag. 239. vol. 1.

eleganti. Quod certe non dubitandum est, quoniam ubique in iis occurrunt vocabula stylo bene latino requisita. Etiam verbis et voculis scriptoris cogitationes ita exprimuntur, ut papyro consignatae a lectore facile intelligantur. Sententiae eleganter expositae eorum claritudinem multo altius tollunt. Simul modus, quo ea vocabula quum in sententiis tum inter se invicem disposita sunt, non satis laudari potest <sup>1)</sup>. Quod quidem ad perspicuitatem praecipue necessarium est, ita ut Caesar apud Ciceronem delectum verborum vel elegantiam eloquentiae fontem nominaverit. Ac, quod magis tendit ad ea elevanda, quae jam dicta sunt, nobis non negligendum est, id factum esse tempore, quo magis magisque sermo pure latinus succumbere coepit orationi depravatae. Igitur non mirandum est, si nonnumquam verba sparsim inveniuntur, quae Ciceronis aetate non plane cognita erant. Quid mirum! quoniam his in operibus disserendum erat de rebus multis antea ignotis. Caeterum, exceptis quibusdam vocibus et loquendi

---

<sup>1)</sup> „En un mot il égale presque Cicéron, non seulement par la pureté des termes, mais aussi par la tournure des phrases, la structure des périodes, par toute la forme du discours.” CHR. FRÉD. JACOB: Lactance considéré comme apologiste, pag. 10 in fine.

formulis, quae in philosophorum scholis aut in poëtarum carminibus inveniuntur, nihil obstat, quominus affirmare possimus Lactantii lucubrationes sese commendare verborum aequae ac rerum perspicuitate. Quod valet non modo ratione habita Institutionum Div., sed et egregii libri de Ira Dei. Quoad Opificium Dei tamen auctor ipse confessus est, sese obscurius loqui quam decuit, idque pro rerum ac temporis necessitate. Neque aliter de ejus Epitome judicandum est, ratione habita consilii, quo conscripta est.

Quae quidem perspicuitas haud parum contulit ad horum librorum suavem et gravem locutionem. Quod attinet ad priorem, fere ubique cogitationes scriptoris pulchre, concinne atque accurate expositae sunt, ac verbis idoneis expressae, ita ut totum concinnitate sententiarum exornatum sit. Modeste vocabula in iis usurpata et quam plurimum verecundiae leges observatae sunt. Plerumque turpia aut leviter his in scriptis attacta sunt aut circumlocutione mitigata. Quibus omnibus grata lectoribus ea ecclesiae Christianae antiquae monumenta sunt. Attamen, interea, non meum est diffiteri, praecipue in Inst. Div. libris, ratione habita mythologiae, nonnullas turpitudines modestiae

et suavitati obstare. Enimvero non obliviscendum est, quam turpis illa mythologia fuerit, ut qui his de negotiis agit vix aut ne vix quidem se a verbis obscoenis cohibere posset. Certo certius neque temporum ratio praetermittenda est, qua ea, quae nunc inaudita sunt, illo tempore fortasse sine rubore dici potuerint. Quo observato, ultro progredimur ad id, quod pertinet ad gravitatem bene latino stylo requisitam, quo etiam scripta illa distinguuntur<sup>1)</sup>. In iis videlicet eloquendi genus ac cogitationes idonea sunt ad animum movendum atque ad sensus afficiendos. Quod tamen ita factum est, ut nusquam oratio turgeat raroque assurgat, quamquam haud sine viribus ac nervis elocuta sit. Imo, graviter profluit, ut forte nulla ad persuadendum aptior sit. Paene omnibus in locis ex iis patet, scriptori res tractatas magnopere cordi fuisse, quod nemo mirabitur, si in mentem revocet, eum de rebus magni ponderis disseruisse. Sic etiam, si indolem auctoris respicimus, non aliter testificari possumus, quam quod consilio lectorum salutem provehendi semper ductus fuerit, quam-

<sup>1)</sup> „Etiā gravitate de rebus maxime in Religione necessariis sublime disputat atque disserit.” Vide DU FRESNOY in Praef. pag. IV supra.

vis fateri liceat hic illic ironiam eamque nonnumquam amaram introductam esse. Quo uno excepto, caetera omnia multum valent ad orationem gravem reddendam. Quod quidem unum e pluribus exemplum, ni fallor, abunde probare poterit. Ita gravitas sequentium sententiarum eloquentiam in iis libris ubique repositam nobis plane ob oculos ponit. „Una,“ — sic quodam loco ex imo pectore loquitur eorum auctor — „spes homini; una salus in hac doctrina, quam defendimus, posita est; omnis sapientia hominis in hoc unum est, ut Deum cognoscat et colat. Hoc nostrum dogma, haec sententia est. Quanta itaque voce possum, testificor, proclamo, denuntio: Hic, hic est illud, quod philosophi omnes in tota sua via quaesiverunt, nec unquam tamen investigare, comprehendere, tenere valuerunt, quia religionem aut pravam retinuerunt aut totam penitus sustulerunt”<sup>1)</sup>.

Quibus rebus omnibus apparet scripta Lactantii eloquenti modo quam maxime nitere; imo Ciceronis laudem haud dubie merere. Neque hac de re haesito verba L. Coclii Rhodigeni mea facere, quum dicit: „Lactantius inter Christianae veritatis

<sup>1)</sup> Vide Inst. lib. III. cap. 30. pag. 421 BÜN.

assertores eloquentia maxime illustris erat" <sup>1)</sup>.  
 Quorum verborum veritatem scriptoris monumenta  
 posteritati tradita atque a nobis modo tractata  
 luculenter adhuc ostendunt.

---

<sup>1)</sup> „Volgens het eenparig oordeel van alle, van den H. MÆRONY-  
 MUS af tot heden toe, is hij gehouden voor de welspre-  
 kendste van zijne en alle volgende eeuwen; weshalven hem niet  
 min alom, als met regt den naam van de *Christensche Cicero* gegeven  
 is; self hebben sommige niet geschroomd te seggen, dat hij in  
 sommige saken den Romeinschen Redenaar overtroffen heeft.”  
 W. CAVE: Kerkelijke Oudheden, pag. 674. ed. Utrecht, 1698.

„The care of his (Crispus') education, or at least of his stu-  
 dies, was intrusted to Lactantius, *the most eloquent of the Chris-  
 tians.*” GIBBON etc. pag. 250, in medio.

PARS ALTERA.

DE LACTANTIO THEOLOGO EJUSQUE THEOLOGIA.



„Gehen wir nunmehr zur systematischen Darlegung der Theologie des Lactantius über, so darf uns zunächst die Thatsache nicht gleichgültig sein, dass sämtliche Schriften desselben sich als Schriften von vorwiegend apologetischer Natur und unmittelbar praktischer Tendenz bezeugt haben. Sie wollen dem für die Wahrheit empfänglichen Heiden und dem unbestimmten Neubekehrten die Grundgedanken der christlichen Heilswahrheit zugänglich und gewiss machen. Demnach dürfen wir eine tiefer gehende wissenschaftliche Entfaltung der specifisch christlichen Mysterien, wie sie nur dem gereiften christlichen Leben und Denken verständlich und förderlich ist, von vorn herein nicht erwarten.“

OVERLACH: *die Theologie des Lactantius.*

## CAPUT I.

### LACTANTII OPINIONES DE RELIGIONE EAQUE CHRISTIANA.

---

Quod in Lactantii theologia, idque propter ejus rationem singularem, qua in re etiam ab Augustino<sup>1)</sup> differt, ad se trahit animum, est quidem auctoris imprimis definitio verbi *religio*. Minime, ut Cicero, cujus eloquentiam semper magnificavit, opinatus est, hocce verbum a *relegendo* derivatum esse<sup>2)</sup>. Neque, quod quidem Tertullianus, id unice cultum exteriorem indicare putavit; verum multo magis hominis conjunctionem et com-

---

<sup>1)</sup> „Augustin schliesst sich mehr an der tertullianischen Sprachgebrauch an; er stellt die *religio* der *fides* oder *pietas* entgegen, de pecc. mer. et rem. II. 2, s. BAUMG.-CRUS. II, S. 754.“ Vide HAGENBACH: Dogmengeschichte pag. 254 in nota, ed. Lips. 1853.

<sup>2)</sup> De Natura Deorum libro II. cap. 28,

munionem cum Deo. Vinculis nempe pietatis secundum auctoris sententiam, obstricti Deo et relegati sumus, unde ipsa religio nomen accepit<sup>1)</sup>.

In Religione sola summum bonum est, nam illa est ratio et modus, quibus pervenitur ad Dei Optimi Maximi fruitionem. Si Religio tollitur, nulla nobis ratio cum coelo est; quoniam per eam rerum coelestium rationem cognoscimus. Ei ergo serviendum est, quam qui non suscepit, ipse se prosternit in terram et vitam pecudum secutus, humanitate se abdicat<sup>2)</sup>. Eadem cum sapientia inseparabili nexu cohaeret, ita ut altera ab altera divelli nequeat; quia sapere nihil aliud est, nisi Deum verum justis ac piis cultibus honorare; siquidem praeterea utriusque fons Deus est<sup>3)</sup>. Altera sine altera ad errores ducit, quod Ethnicorum mundus nobis ob oculos ponit tam in multitudine superstitiosorum, quam in numero philosophorum. Nam, quod attinet ad illos, sa-

---

<sup>1)</sup> „Hac enim conditione gignimur, ut generanti nos Deo justa et debita obsequia praebeamus, hunc solum noverimus; hunc sequamur. Hoc vinculo pietatis obstricti Deo et relegati sumus; unde ipsa religio nomen accepit, non ut Cicero interpretatus est, a *relegendō*.” Inst. Div. lib. IV. cap. 28. pag. 553 ed. Bün.

<sup>2)</sup> Div. Inst. lib. III. cap. 10.

<sup>3)</sup> Div. Inst. lib. IV. cap. 4.

pietiam non habebant, quare non potuit illa religio vera judicari; ita philosophia, quia veram religionem i. e. summam pietatem non possidebat, non est vera sapientia. Ubi autem utrumque arcte cohaeret verum esse necesse est, quia et in colendo sapere debemus, i. e. scire, quid nobis et quomodo sit colendum, et in sapiendo colere, i. e. re et actu, quoad sciverimus, implere. Quae quidem conjunctio solum ibi locum habere potest, ubi Deus colitur unus adorationis objectum; ubi vita et actus omnes ad unum caput et ad unam summam referuntur<sup>1)</sup>. Cujus religionis partes necessariae, agnitio Dei et cultus, in doctrina Christiana, auctoritate divina nitente, utpote hominibus omnibus accommodata atque in eorum animos efficace, praesto sunt<sup>2)</sup>. Per eam videlicet, quum sit veritas divinitus revelata, ratio divina homini innotuit, quod per hominem ipsum vagantem per tenebras inextricabiles fieri non potuit<sup>3)</sup>. Quare ea sola possidet veritatem ritumque juste colendi Dei, ac sola valet ad mores excolendos vitamque

---

1) Div. Inst. lib. IV. cap. 3, 4.

2) Div. Inst. lib. III. 30.

3) Div. Inst. lib. II. cap. 3, fere in fine; lib. IV. cap. 12, 13, 14, 25.

formandam, qua homines coronam immortalitatis adipisci possint<sup>1)</sup>. Quae quidem religio pro fundamento habet Jesum Christum, ipsum Deum et hominem, quo cultus Summi Dei, salus hominum et omnis veritas continetur<sup>2)</sup>.

Religionis Christianae veritas ex eo praecipue patet, quod eventu comprobata sunt ea omnia, quae prophetae Spiritu Divino afflati de Auctore vaticinati sunt<sup>3)</sup>. Praeterea abfuit ab hujus doctrinae seminariis, Auctoris coelestis nempe discipulis, fingendi voluntas et astutia, quoniam rudes fuerunt<sup>4)</sup>. Neque quaestus et commodi gratia religionem istam commenti sunt; quoniam vitam secuti sunt, quae bona terrestria sprevit. Non tantum pro fide mortem illi subierunt, sed id cognitum habuerunt, imo praedicaverunt se morituros esse veritatis causâ. Postea quoque plurimi, qui eorum disciplinam amplexi sunt, sibi conscii erant, acerba et nefanda sibi perferenda esse. Accedit, quod non probabile est, Christianos in vitae suae actibus non errantes, in ipsa summa,

---

1) Div. Inst. lib. III. cap. 26.

2) Div. Inst. lib. IV. cap. 10, 11, 14, 25.

3) Div. Inst. IV. cap. 5, 12 aliisque locis.

4) Div. Inst. lib. V. cap. 3.

hoc est, religione errare, siquidem eorum omnis religio est sine scelere ac maculo vivere <sup>1)</sup>). Imo haud parum valuit ad eam veram habendam numerus fidelium semper crescens, invictam tenentium patientiam inter fatigatos carnifices, dum variis tormentorum generibus dilacerati sunt <sup>2)</sup>).

Effecta religionis Christianae talia sunt, ut totum hominem immutare et, veteri exuto, novum reddere possint, ita ut non cognoscas eundem. Haec nempe coelestis doctrina sola hominum cupiditates opprimere, iram temperare pravasque libidines expellere potest. Quod quidem experimenta quotidiana luculenter demonstrant. Nam et auctoris tempore plus semel patuit, injustum, insipientem peccatorem, ea religione suscepta, continuo aequum, prudentem et innocentem factum esse. Neque hoc mirandum est, quoniam ejus vis tanta est, ut in hominis pectus infusa, matrem delictorum, stultitiam uno semel impetu expellat. Illa non solum vitia abscindit, verum etiam exscindit, qua re sapientiae philosophorum pulchre excellit. Nam dum hi aetatem totam studio philosophiae conterant, nunquam alium quemquam

---

<sup>1)</sup> Div. Inst. lib. V. cap. 9. in fine.

<sup>2)</sup> Div. Inst. lib. V. cap. 13.

neque se ipsi unquam potuerunt meliores facere. Quid faciendum esse hi quidem senserunt, nec tamen ipsi id facere potuerunt, quod sola haec doctrina coelestis valet, quippe quae sola sapientia sit. Ad quod efficiendum huic nec mercede nec labore opus est, quoniam gratis ista fiunt, quae ad hunc finem necessaria sunt. Profecto hoc coeleste lumen omnibus oritur, quicumque oculos habeant <sup>1)</sup>).

In oppositione cultus Ethnicorum illius vis praeterea in eo sita est, quod iustitiam eamque veram docet; quia nobiscum semper est, ac toto in animo colentis viget; quia mentem ipsam pro sacrificio habet. Dum ille enim spectat ad id quod externum est, haec respicit bonam mentem, purum pectus, et vitam insontem. Desiderat haec devotionem maximam fidemque, addita decora reverentia; quare necesse est bonum in religione versari, non malum. Quae cum ita sint, non fas est in ea vi et tormentis uti, ut Ethnici facere solent. Nam si ita agatur, polluitur ac violatur religio, nec vero defenditur. Neque aliud quidquam tam voluntarium est quam religio. Igitur regia via eundem est, ratione et hortamentis

---

<sup>1)</sup> Div. Inst. lib. III. cap. 26.

agendum, quae res sola grata est et religioni addit auctoritatem. Quam sententiam auctor pulchre exprimit hisce verbis: „defendenda enim religio non occidendo, sed monendo; non saevitia, sed fide; illa enim malorum sunt, haec bonorum”<sup>1)</sup>.

Fons tandem, ex quo religionis Christianae origo emanavit, Sacra Scriptura est. Divisa est autem haec Scriptura in duo testamenta, quorum illud quod adventum Christi antecessit, i. e. lex et prophetae, *Vetus* dicitur. Ea vero, quae post ejus resurrectionem scripta sunt, *Novum Testamentum* nominatur. Quae, quum ita sint, tamen diversa non sunt, quia Novum adimpletio Veteris est et in utroque idem testator est Christus. Vetus enim illud, quod per Mosen datum est, non fuit perfectum, quoniam eo demum quod Christus dedit, consummatum fuit<sup>2)</sup>. Cujus Scripturae antiquitatem e prophetarum aetatibus deduxit, quia antiquiores etiam Graecis scriptoribus reperiuntur. Atque hoc eo consilio facit, ut refutare posset errores eorum, qui Sacram Scripturam tanquam novam et recens fictam coarguere conantur<sup>3)</sup>.

---

<sup>1)</sup> Div. Inst. lib. V. cap. 20; lib. III.

<sup>2)</sup> Div. Inst. lib. IV. cap. 20 init.

<sup>3)</sup> Div. Inst. lib. IV. cap. 5 in fine.



## CAPUT II.

### LACTANTII RATIO THEOLOGICA.

---

Quibus rebus absolutis, nunc occasionem habemus judicandi de auctoris ratione theologica. Quam tamquam *aesthetico-ethicam* si depingimus, quisnam, Lactantii operibus lectis hujusque theologia perspecta, mecum facere dubitet? Quod tamen ut omnibus luculenter pateat, quoad possumus, probare conabimur.

Lactantius in ecclesiae serviendo sibi proposuit merita Religionis Christianae, eaque aethetica, pro viribus in apicem proferre. Id praecipue patet ex iis, quae scripsit de temporis, quo vivebat, ratione, ejus inopiae satisfacere voluit. Si homines hujus temporis nihil verum putaverint, nisi quod auditu suave sit; nihil credibile, nisi quod afferat voluptatem; nemo rem veritate pon-

deraverit, sed ornatu; quis non videt eum ante omnia oportuisse veritatem eleganter exponere? Si non credunt divinis mortales, quia fucō carent, neque illis, qui ea interpretantur, quia sunt et ipsi aut omnino rudes, aut certe parum docti; nonne liquet auctorem oportuisse divina ante oculos ponere modo conveniente illorum hominum sentiendi rationi, et sapientiam cum religione conjungere? Vel nonne perspicuum est Lactantium saeculo, cui eloquentia serviebat, obtulisse quod expoliturum ac disertum sit? Omnino in ejus operibus legendis satis cernimus eum poculum doctrinae coelestis melle sapientiae circumluisse, ut possent ab imprudentibus amara remedia sine offensione potari; dum illiciens primadulcedo acerbitatem saporis asperi sub praetextu suavitatis occultat<sup>1)</sup>. Modo legendum est quod diximus de auctoris scriptorum caractere, idoneo temporis necessitati, ut ultro pateat, quomodo ille, necessitate coactus, causam veritatis ornate copioseque defenderit, idque feliciter perfecit<sup>2)</sup>. Ac sic cernimus opera Lactantii summâ

---

<sup>1)</sup> Videantur hac de re Div. Inst. lib. V. cap. 1, 2.

<sup>2)</sup> Vid. hujus disq. p. 39—42 etc.

sese distinguere eloquentiâ; suavitate, qua res in iis tractatae sunt; atque eleganti ratione, qua veritatem exposuit, ut aequalibus prosit defensor; atque illius non mirari non possimus doctrinae Christianae excellentiam. Hinc auctori libuit ea tantum rerum capita attingere, quibus doctrinae illius merita prae Ethnicorum religione enitere, eaque ipsa jucundior ac gratior adversariis apparere posset. Quae omnia ex sequentibus satis illustrabuntur, efferentibus emolumenta doctrinae coelestis, ratione habita animorum et vitae. „Dei autem praecepta — sic inquit — quia simplicia et vera sunt, quantum valeant in animos hominum, quotidiana experimenta demonstrant. Da mihi virum, qui sit iracundus, maledicus, effrenatus; paucissimis Dei verbis tam placidum quam ovem reddam. Da cupidum, avarum, tenacem; jam tibi eum liberalem dabo et pecuniam suam plenis manibus largientem. Da crudelem et sanguinis appetentem, jam in veram clementiam furor iste mutabitur. Da injustum, insipientem, peccatorem; continuo et aequus et prudens et innocens erit”<sup>1)</sup>).

Quibus rebus in memoriam revocatis, iisque

---

<sup>1)</sup> Inst. Div. lib. III. cap. 26. pag. 400 Ed. Bün.

addita auctoris animi inclinatione ad religionem Christianam in qua versabatur, magis luculenter apparebit, eum rationem aethetico-Ethicam persecutum esse. Quod quidem satis abundanter patet ex ejus Christologia, ex ea praesertim parte, qua de Christi incarnatione verba fecit. Primum, quod attinet ad ejus personam, ratio ethica oculis exposita est, ubi de Christo, Dei Sermonem vocato, arguit. Ea scilicet ratione ex Dei ore processit sicut verbum, quod ille magister doctrinae Dei futurus esset<sup>1)</sup>. Hanc ob causam eum nominat doctorem virtutis et praeceptorem justitiae<sup>2)</sup>. Imo Filius a Patre missus est ut viva praesensque lex<sup>3)</sup>. Nam quum justitia nulla esset in terra, doctorem misit, quasi vivam legem, ut nomen et templum novum conderet; ut verum et pium cultum per omnem terram verbis et exemplis seminaret<sup>4)</sup>. — Eumque oportuit non solum Deum, sed et hominem esse. Quam sententiam argumento, quo ipso ratio illa,

1) Div. Inst. lib. IV. cap. 448. in med. ed. bñn.

2) Div. Inst. lib. IV. pag. 13, 23, 24, 25.

3) Div. Inst. lib. IV. cap. 17: „Denuntiavit scilicet Dominus per ipsum legiferum, quod filium suum, id est, *vivam praesentemque legem*, missurus esset.”

4) Div. Inst. lib. IV. cap. 25 init. pag. 531 ed. bñn.

quam supra indicavimus, haud parum clucet, affirmare procedit. Ut doctrinam perfectam proferret, et auctoritati coelesti parendi hominibus imponeret officium, necessarium erat ut Filius esset Deus. Verum ut exempla virtutis hominibus praeberet, et desideriiis carnis domitis, edoceret non necessitatis esse peccare, sed propositi ac voluntatis, illum et hominem esse oportuit. Nam quicumque iis praecepta dat, ac mores aliorum fingit, hunc oportet eadem facere, ut videant alii ea fieri posse quae praecepit<sup>1)</sup>. „Jussit igitur,” sic auctor ipse, „eum Summus Pater descendere in terram, et humanum corpus induere, ut subjectum passionibus carnis, virtutem ac poenitentiam non solum verbis, sed etiam factis edoceret”<sup>2)</sup>.

Quae igitur assertio nostra multo clarius apparebit, si spectamus ad Christi mortem in cruce. Tacet enim auctor de ejus incarnati officio, quod dicitur sacerdotale, quo Christus mortem subiit pro peccatis hominum. Mortem igitur suscepit, sic arguit, ut ac quoque per virtutem domita resurgeret et homini spem vincendae mortis afferret, et ad praemia

<sup>1)</sup> Videatur Div. Inst. lib. IV. cap. 23.

<sup>2)</sup> Epitome cap. 43. pag. 1277 in fine ed. bñn. vol. II.

immortalitatis admitteret <sup>1)</sup>). Secundum auctoris argumentationem ergo, quum Deus statuisset hominem servare, Filium misit in terram magistrum virtutis. Ejus munus erat doctrinam justitiae docere ejusque exempla praebere, ita ut homines ad vitam aeternam pervenirent <sup>2)</sup>). Eo quoque consilio missus est, ut hominibus viam panderet ad salutem eosque liberaret <sup>3)</sup>). Sic etiam eum oportuit ho-

<sup>1)</sup> Div. Inst. lib. IV. cap. 10. pag. 452 ed. bün.

<sup>2)</sup> Videatur Div. Inst. lib. IV. cap. 26: „Deus namque, (sicut superius exposui) quum statuisset hominem liberare, magistrum virtutis legavit in terram, qui et praeceptis salutaribus formaret homines ad innocentiam, et operibus factisque praesentibus, justitiae viam panderet, qua gradiens homo, et doctorem suum sequens, ad vitam aeternam perveniret. Is igitur corporatus est, et veste carnis indutus, ut homini, ad quem docendum venerat, virtutis et exempla et incitamenta praeberet. Sed quum in omnibus vitae officiis justitiae specimen praebuisset; ut doloris quoque patientiam, mortisque contemptum, quibus perfecta et consummata sit virtus, traderet homini; venit in manus impiae nationis, quum et vitare potuisset, scientia futuri, quam gerebat, et repellere eadem virtute, qua mirabilia faciebat. Sustinuit ergo cruciatus, et verbera et spinas. Postremo etiam mortem suscipere non recusavit; ut homo illo duce subactam, et catenatam mortem cum suis terroribus triumpharet,” etc.

<sup>3)</sup> Epit. cap. 51: „Nam quum ad hoc missus esset, ut humilibus quibusque viam panderet ad salutem, se ipse humilem fecit, ut eos liberaret. Suscepit ergo id genus mortis, quod solet humilibus irrogari, ut omnibus facultas daretur imitandi.”

mines liberare a mortis terroribus eosque perferre cum patientia atque animi magnitudine. Imo, Jesus Christus hominum Servator mortem crucis subiit, ut esset exemplum virtutis ac patientiae in doloribus perferendis <sup>1)</sup>).

Ea omnia igitur luce clarius ostendunt, auctorem maxime, imo ex toto laudare partem moralem in Christi apparitione in terra <sup>2)</sup>). Quod ipse in religione Christiana exponenda affirmare voluit, dicens: „nulla igitur alia religio est vera, nisi quae virtute ac justitia constat” <sup>3)</sup>). Quam sententiam auctor in apuricum profert, ubi illustrat quomodo religio Christiana sola ad nostram naturam moralem meliorem faciendam accommodata sit <sup>4)</sup>).

<sup>1)</sup> Videantur Div. Inst. lib. IV. capp. 10, 12, 26.

<sup>2)</sup> „Den mittelpunkt des Christenthums bildet dem Lactantius das Ethische. Wie sein Kräftiges sittliches Bewusstseyn sich in seiner Schrift de Ira Dei merkwürdig und im starken Gegensatz gegen die meisten orientalischen Väter kund gibt; so besonders auch in seiner Christologie.” DORNER: Entwicklungsgeschichte der Lehre von der Person Christi etc. pag. 777 in fine. Vol. I. ed. Berlin 1857.

<sup>3)</sup> Div. Inst. lib. VI. c. 25. pag. 848 ed. bün.

„Nec enim potest aliquid in rebus terrenis esse venerabile, coeloque dignum; sed sola est virtus, sola justitia; quae potest verum bonum, et coeleste et perpetuum judicari, quia nec datur cuiquam, nec auferitur.” Div. Inst. lib. IV. cap. 16.

<sup>4)</sup> Videatur Div. Inst. lib. III. cap. 26.

Nam per eam homo, quantum ejus vis valet in eum, totus convertitur ab eo quod est malum ad bonum. Neque alio consilio, idque magnam partem, in quinto et sexto libro virtutes Christianorum exponere conatus est. Has quidem ob causas alio loco statuit: „nihil enim sancta et singularis illa majestas aliud ab homine desiderat, quam solam innocentiam; quam si quis obtulerit Deo, satis religione litavit”<sup>1)</sup>. Quare Lardnero plane consentio: revera auctor noster erat virtutis magnus admirator, ac studiosissime ejus exercitationem Christianis commendavit<sup>2)</sup>. Quibus omnibus accurate perpensis, nihil obstat, ut opinor, quominus Lactantii rationem theologicam *aesthetico-ethicam* rite nominemus.

---

<sup>1)</sup> Div. Inst. lib. VI. cap. 1. pag. 700 supra.

<sup>2)</sup> „Indeed, our author was a great admirer of virtue and has most earnestly recommended the practice of it to Christians.”  
LARDNER: Credibility of the Gospel. hist. pag. 271, supra, vol. II.



### C A P U T III.

#### RECENSIO OPINIONUM DE LACTANTIO THEOLOGO.

In Lactantio judicando, quod attinet ad ejus doctrinam theologicam, prima, quae rite proferri possit quaestio, huc redit: num jure inter numerum defensorum orthodoxorum ecclesiae primariae censendus est Lactantius? Quae quidem quaestio nobis non miranda est. Nam secundum opiniones nonnullorum vix unquam alius quidam scriptor tam saepe erravisse videtur quam auctor noster. „Inde aliqui — ut verbis Nourrii utar — centum et septuaginta illius errata olim numerabant; alii ea postmodum ad quattuor supra nonaginta, alii vero ad minorem numerum redegerunt.” Imo Antonius Raudensis, theologus ex ordine Fratrum Minorum saeculo XV, eo venit ut staterit, ejus libros quasi undique haeresibus refertos esse.

Verum sufficienter apparuit plurimas ejusmodi reprehensiones ex infesto quodam animo atque opinionibus praejudicatis originem duxisse. Ita enim vir iste Antonius Raudensis egit, ut non solum Adamus quidam Monachus Genuensis <sup>1)</sup> eum vehementer ut insanum notaverit, sed etiam Franciscus Philelfus <sup>2)</sup>, vir studiis litterarum illustris. Nimium quantum secundum sententiam du Fresnoy his de rebus Josephus Isaeus censuit, qui in Lactantii libris exstantibus, nonaginta quattuor propositionibus reprehensis, ipse tamen testatus est, quasdam earum benigno sensu interpretandas esse. Idque recte quidem. Nam in auctoris theologia rite judicanda, nobis non obliviscendum est consilium, quo ille mentis actiones easque religiosas chartis consignavit. In suscipiendis videlicet operibus suis multo magis ejus erat consilium, errores Ethnicorum refutare atque eleganter veritatem exponere, quam expositionem doctrinae Christianae ipsius omnibus numeris absolutam dare. Neque talis

---

<sup>1)</sup> Secundum DU FRESNOY hujus in Raudensem Epigramma versuum 8 legitur in editione Lactantii Romana 1468 apud Petrum de Maximis, unde illud exscripsit Albertus Fabricius in Bibliothecae Latinae Supplemento, pag. 395.

<sup>2)</sup> Lib. V. Epistolarum ad annum 1443.

expositio acuta apud scriptores ecclesiasticos ejus temporis quaerenda est; quin plerumque difficile est accurate eorum theologicas notiones multis de rebus propter laxum loquendi modum ob oculos ponere. Accedit quod forma rhetorica, qua multa eorum scripta, idque maxime Lactantii, induta sunt, minus idonea est ad horum virorum sententias indubitanter exprimendas. Neque aequum est, ut opinor, si passim res alicujus momenti, speciatim in tam brevi doctrinae Christianae expositione, silentio praetermissae sint, talem omissionem negationi vel ignorantiae veritatis, ut nonnulli asserere solent, adscribere. Quibus omnibus bene consideratis, quae certo certius conveniunt cum nostro proposito supra indicato, quaestiones gravissimae, quae inde oriantur, ex ordine nunc persequamur.

Prima igitur quae praesto est quaestio haec est: Num Lactantius dici potest sectae Manichaeorum assecla? Causa qua opinatio illa exstitit in eo sita est, quod interdum in quibusdam Manuscriptis ejus Codicibus ac postea editionibus sententiae nonnullae, Manichaeorum doctrinam redolentes, inveniuntur<sup>1)</sup>. Attamen loci, quibus hac repreh-

---

<sup>1)</sup> „Some have charged Lactantius with Manicheism. Several

siones nixae sunt, vix reperiuntur in vetustis exemplaribus Lactantii operum et apparent ab optimis Manuscriptis Codicibus deesse. Quare putantur postea ab iis esse adsuti, qui huic sectae dediti erant. Itaque viri gravissimae auctoritatis tales locos proscriptioe dignos censuerunt et modo in notis eorum mentionem faciunt. Sic, exempli gratia, du Fresnoy, sic Bünemannus, Walchius, aliique omnes in suis editionibus, quatenus rem indagare potuimus<sup>1)</sup>. Quorum primus, ratione habita hujus accusationis, inter alia statuit: „hae etenim impietates saepissime assutae textui Lactantiano, non modo perturbant scriptoris sermonem, verum etiam ejus doctrinae plane sunt contrariae”<sup>2)</sup>. Quibus rebus observatis, indicare conabimur, quomodo auctoris religionis opiniones huncce errorem excludant.

---

passages in his works are suspected of this error; some learned men are of opinion that those passages are not genuine. For which reason in late editions they are generally placed at the bottom of the pages among the notes.” LARDNER: The credibility of the Gospel History etc. pag. 275. vol. II.

<sup>1)</sup> Vide inter alias editionem HEUMANNI operum Lactantii, pag. 156 in not. 6 fere in fine. ed. Gottingae 1736.

<sup>2)</sup> Vide DU FRESNOY: Praef. in Lact. pag. VIII. § XIII in fine. vol. I.

Lactantius sane ab hacce secta, quoad ejus notiones proprias, tantopere dissentit, ut vix, imo nullo modo dici possit ejusmodi opiniones de religione amplexus fuisse. Quid? quod apud Beausobre inter eos ecclesiae primaevae scriptores censetur, qui creationem mundi ex nihilo docuerunt<sup>1)</sup>. Atque dum Manichaei aeternitatem materiae asserunt, ille contra distincte arguit, Deum sibi materiam fecisse<sup>2)</sup>. Profecto Deus aeternus est, isque solus non factus, qui est princeps et origo rerum; quibus aliisque rebus auctor sese doctrinae duorum principiorum aeternorum doctrinae certe opposuit<sup>3)</sup>. Dum illi plane

<sup>1)</sup> „Lactantius is reckoned by Beausobre among those early Christian writers, who taught creation out of nothing.” LARDNER: *Cred. of the Gosp. hist.* pag. 275 in not. vol. II.

<sup>2)</sup> „Deus vero facit sibi ipse materiam, quia potest. — Quid vero mirum, si, facturus mundum, Deus, prius materiam, de qua faceret, praeparavit, et praeparavit ex eo, quod non erat.” *Inst.* lib. II. c. 8. „Materia vero semper fuisse non potest, quia mutationem caperet, si fuisset etc.” *Ibidem.* — „He disproves the eternity of matter with a good deal of metaphysical subtilty; and exposes the ridiculous absurdity of the Epicurean theory. Lactantius himself appears to consider the existence of evil as part of the original design of God in the creation; and his loose manner of expressing himself on this point has been the ground of the most weighty charges against his orthodoxy.” MOUNTAIN'S *Summary of the Writings of Lact.* pag. 17. in medio.

<sup>3)</sup> Vide lib. de Ira Dei cap. 11; et lib. II. cap. 8 ubi hac de

codices sacros Veteris Foederis rejiciunt, hic frequenter iis usus est eosque divinos habuit. Sic etiam Judacorum religionem divinitus institutam nominat eorumque prophetas viros a vero Deo inspiratos<sup>1)</sup>. Quin et eorum vaticinationes de Jesu, hominis Servatore, magni fecit, ut patet ex multis ejusmodi locis allatis, praesertim in libro quarto Div. Inst.

Haud aliter a Manichaeorum doctrina differt, quoad hominis formationem, idque praesertim quoad sexuum rationem<sup>2)</sup>. Itaque non haesitavit affirmare eorum amorem inter se ac cupiditates a divina Providentia sic instituta esse<sup>3)</sup>. Idem de homine ipso, quod attinet ejus animum et corpus, ar-

---

re inter alia dicit: „duo igitur constituuntur aeterna, et quidem inter se contraria: quod fieri sine discordia et pernicie non potest. — Ergo fieri non potest, quin aeterni natura sit simplex; ut inde omnia, velut ex fonte descenderint.”

<sup>1)</sup> Inst. lib. I. cap. 4; lib. IV. c. 5 et c. 11.

<sup>2)</sup> „Hominem finxit ex ipsa terra, quam illi a principio in habitaculum praeparavit; i. e. Spiritum suum terreno corpore induit et involvit,” lib. VIII. c. 5. — „Cum ergo marem ad similitudinem suam primum finxisset, tum etiam foeminam configuravit ad ipsius hominis effigiem; ut duo inter se permixti sextus propagare solem possent, et omnem terram multitudine opplere.” Lib. II. cap. 12 init. — Vide et cap. 10, et de Opif. Dei cap. 10.

<sup>3)</sup> Vide lib. VI. cap. 23; de Ira Dei, cap. 18.

guit; quae ambo ut ipse testatur, Deus fecit, eaque omnia, quibus fruimur, ex eo orsa esse<sup>1)</sup>. Deinde statuit Deum fecisse diabolum, in quo primum indoles divinae stirpis viguit; qui vero suo arbitrio contrarium sibi nomen adscivit, quoniam ex bono per se malus effectus erat<sup>2)</sup>.

Eodem modo ejus opiniones de Jesu Christo ubique fere contrariae sunt doctrinae illius sectae, ubi nempe asserit eum carne indutum fuisse et in ea natum<sup>3)</sup>; eumque non in virtute angelorum, sed in figura hominis mortem suscepisse<sup>4)</sup>: quae satis abundanter ostendunt Lactantium non putari posse sectae Manichaeorum addictum fuisse<sup>5)</sup>. Quae sententia eo quoque affirmatur, quod Hieronymus, Augustinus aliique antiquitatis scriptores hac de

---

<sup>1)</sup> „Deus ergo veri patris officio functus est. Ipse corpus effinxit, ipse animum, quâ spiramus, infudit. Illius est totum, quidquid sumus.” Inst. lib. II. cap. 11 sub finem.

<sup>2)</sup> Inst. lib. II. cap. 8.

<sup>3)</sup> Inst. lib. IV. cap. 26; lib. II. cap. 11; lib. IV. cap. 12.

<sup>4)</sup> Inst. lib. IV. cap. 10 in.; lib. IV. cap. 25; Epit. cap. 50.

<sup>5)</sup> „Quae cum ita sint, non tamen vetustissimis haereticis Manichaeis, qui paullo ante tempora Lactantii nati sunt, annumerandus est Lactantius. Hi enim duo principia coaeterna statuere, bonum et malum. Lactantius vero malum ab aeterno non fuisse asserit, sed originem sumsisse in tempore confirmat.” PFAFF, diss. prael. n. 21. pag. 27.

re silentium tenuerunt, quod alioqui certe non fecissent <sup>1)</sup>).

<sup>1)</sup> Non video quomodo HAGENBACHIUS (Dogmengesch. Lips. 1853; p. 236) e Div. Inst. lib. II. Cap. 12; VI, 13 et de Ira Dei 15, maxime ratione habita duorum priorum locorum, deducere possit Lactantium ad Manicheismum fere delapsum esse. Nam, quoad primum, ex contextu patet, auctorem loqui de formatione hominis, eaque ex rebus diversis ac repugnantibus, anima et corpore. In hac societate autem anima superiorem partem tenet, quia originem suam de Deo ducit; corpus, contra, inferiorem tenet, quod, quoniam terrenum est, animae debet esse subjectum. „Est enim quasi vasculum, quo tanquam domicilio temporali spiritus coelestis utitur.” Quae, quum ita sint, nulla causa est, ut opinor, Lactantium Manicheismi accusandi. Neque id satis patet e lib. VI, ubi legimus: „nemo esse sine delicto potest, quamdiu indumento carnis oneratus est. Cujus infirmitas modo subjacet dominio peccati: factis, dictis, cogitationibus.” Nonne enim haec respondent verbis PAULI, dicentis: οἶδα γὰρ ὅτι οὐκ οἰκῆ ἐν ἐμοί (τουτέστιν ἐν τῇ σαρκί μου) ἀγαθόν, alioque loco: Ταλαίπωρος ἐγὼ ἄνθρωπος· τίς με ῥύσεται ἐκ τοῦ σώματος τοῦ θανάτου τούτου; — Locus ultimus omnino majorem vim habet, nam ibi auctor dicit propter formationem animae et corporis e coelo et terra alteri bonum adhaerere, alteri malum. „Hinc exstitit in hominibus naturae suae depravatio.” Sed contra, Lactantius luce clarius statuit Diabolum fraudibus suis hominem corrupisse vel etiamnunc corrumpere et sic de origine peccati hominem biblicam rationem sequitur. Div. Inst. lib. II. cap. 12 in medio, 14 initio, Epit. 27. Quare difficile est ex auctoris modo minus accurate loquendi hac de re certo certius concludere. Probabilius igitur propiusque veritati est, ut opinor, eum magis a doctrina Manicheorum differre, quam ad eam valde inclinare.



Porro altera quaestio oritur: num Lactantius iis annumerari possit, qui cum Arianis erraverunt?

Haecce opinio suspicax fere eodem modo, quo ea de Manichaeismo ex eo emanasse videtur, quod in Lactantii scriptis passim loci inventi sint, qui magis minusve Arianismum redolent. Neque hoc mirandum est. Nam ut plurimi scriptores, qui ante Concilium scripserunt Nicaenum, in quo primum ecclesiae doctrina dilucidius expressa est ac voces ei maxime consonae formatae sunt, — sic etiam minus theologice vel accurate Lactantius locutus est in scriptis. Inde loci vel exempla res illustrantia praesto sunt, qui, in se considerati, videri possint talis reprehensionis veritatis speciem continere. Verum, re bene ponderata, sufficienter apparet auctorem a sententiis Arianorum alienum fuisse, iisque multo magis contrarium. Partim enim loci hujusmodi in exemplaribus vetustis atque optimis non inveniuntur, partim ex ipsa ejus doctrina de Christo omnia dubia hac de re magis magisque tolli possunt. Nam praeter scripturam hîc nil dicit Lactantius. Sic, exempli caussa, pronuntiat Dei Filium ante saecula fuisse genitum. Deus nempe antequam praeclarum hoc opus mundi ad-

oriretur Spiritum *genuit*, quem Filium nuncupavit<sup>1)</sup>; idem a principio Filius Dei erat<sup>2)</sup>. Quodsi hoc ambiguitatem non plane tollat, clariora sunt verba, quae sequuntur; „Deus in principio, antequam mundum instituerit, *de aeternitatis suae fonte* deque divino ac perenni Spiritu suo filium sibi ipse progenuit incorruptum, fidelem, virtuti ac majestati patriae respondentem<sup>3)</sup>. Sic etiam aequalitatem ejus cum Patre auctor demonstrat, ubi eum disertis verbis *Deum*<sup>4)</sup> idque Summo Patri *similem*<sup>5)</sup> appellabat. Ac, quod magis ejus opinionem hac de re illustrat, Filium unius esse substantiae cum Patre praedicavit<sup>6)</sup>. Porro, aliis verbis usus est, e quibus patet eum multo magis eum ecclesia facere, quam cum iis, qui ab ea desciverunt.

---

<sup>1)</sup> Vide Inst. Div. lib. IV. cap. 6 init.

<sup>2)</sup> Vide Inst. l. IV. cap. 8 init.

<sup>3)</sup> Epit. cap. 42 init.

<sup>4)</sup> Vide Inst. lib. IV. cap. 13, ubi eum diserte appellat *Deum* et hominem, additis quae e locis a prophetis citatis affert, ubi illi Christum *Deum* esse, secundum auctoris opinionem, testarentur. Vide et lib. VII. cap. 19 fere in medio; Epit. cap. 43. „Idcirco igitur quum *Deus* esset, suscepit carnem.” Inst. l. IV. cap. 29 init.

<sup>5)</sup> Vide Inst. lib. IV. cap. 13 init.

<sup>6)</sup> „Quum igitur et Pater Filium faciat, et Filius Patrem, una utrique mens, unus Spiritus, una substantia est.”

Quam assertionem haec verba nobis ob oculos ponunt: „Filius ac Pater, qui unanimes incolunt mundum Deus unus, quia et unus est tanquam duo, et duo tanquam unus<sup>1)</sup>. Denique unum Deum esse tam Patrem quam Filium Esajas ostendit<sup>2)</sup>. Cum dicimus Deum Patrem et Deum Filium, non diversum dicimus, nec utrumque secernimus, quia nec Pater sine Filio esse potest, nec Filius a Patre secerni<sup>3)</sup>. Quae omnia sufficiunt, ut opinor, ad probandum, Lactantium nullo cum jure esse accusatum Arianismi<sup>4)</sup>. Igitur,

<sup>1)</sup> Inst. lib. IV. cap. 29. § 8 ed. BÜN.

<sup>2)</sup> Vide quae auctor hac de re statuit in Inst. l. IV. cap. 29. Praeterea e multis locis allatis, maxime e V. F., quia proprie ad Deum O. M. spectant, auctor, secundum peculiarem suam argumentandi rationem, conatus est demonstrare Filium Deum esse eique similem.

<sup>3)</sup> Inst. lib. IV. cap. 29 init.

<sup>4)</sup> „Bishop Bull and Dr. Nicholls appear to have successfully vindicated Lactantius from the charge of denying the eternal generation of the Son.” MOUNTAIN: Summary of the writings of Lact. in Praef. p. IX. — „Bei all diesem ist aber zu rühmen, dass er Christus nicht bloß als Organ Gottes, als mittel auffasst, wie der Sabellianismus muss, und wozu auch der Arianismus eine Neigung hat. Sondern er ist ihm auch Selbstzweck, und zwar anders als alle Menschen oder Geister dieses sind, nämlich Gegenstand göttlicher Verehrung zugleich mit dem Vater. Und die Nothwendigkeit der Gemeinschaft mit diesem, ja der Einheit mit seiner Substanz zur Vollkommenheit des Sohnes ist von ihm

nonnullae sententiae vel exempla dubia afferentia nil valent, quamdiu alii loci luce clarius aliter loquuntur, et dubia ex certioribus illustrari possunt.

Quod attinet ad Hieronymi testimonium<sup>1)</sup>, auctorem scilicet errore Judaico in libris suis, maxime in Epistolis ad Demetrianum, negare substantiam Spiritus Sancti, non facile effici potest. Primum ea scripta in quibus plurimum de eo egerit, eheu! oblivionis praeda facta sunt; deinde nulla hujusmodi mentio in libris adhuc exstantibus adest. Imo, ne ulla quidem in iis recordatio in promptu est, e qua quoquo modo patere possit, utrum ille Spiritum Sanctum pro persona agnovit nec ne. Hoc saltem certum est, quoad ejus scripta posteritati tradita sunt, nil reperimus quo talis reprehensio affirmari possit, nisi ex omissione vel ex eo, quod non explicite et distincte expressum est, ad negationem concludamus.

Tandem Lactantii propria erat opinio Millennariorum, quae quoque haud parum attulit ad illum reprehendendum. Nam haecce sententia

---

anerkannt." DORNER: Entwicklungsgeschichte der Lehre von der Person Christi, t. I. pag. 791 in fine, ed. Stuttgart 1845.

<sup>1)</sup> In Epist. ad Pammachum.

Hieronymi notitiam non fefellit, quippe qui eam inter Judaicos fabulas annumeraverit <sup>1)</sup>. Attamen haud aliter quam Papias, Episcopus Hierapoleos in Phrygia, qui primus eam coluisse videtur, haud aliter quam Irenaeus sensit. Cum iis nempe, quae summa rerum est, existimavit Christum, vergente ad finem mundo, cum justis in terra regnaturum. Atque his de rebus specialiter haud pauca locutus est, studens quoque eas comprobare tam e versibus Virgilii, quam ex libris Sibyllinis.

En igitur praecipuas quaestiones, praetermissis nonnullis effatis minoris momenti, quae ansam reprehendendo Lactantium theologum dederunt. Quae quum ita sint, non videmus rationes sufficientes, quibus coacti statueremus, eum inter defensores ecclesiae primaevae haud rite annumerandum esse. Siquidem ille non solus erat, qui subinde effata ambigua vel alienam doctrinam redolentia prodidit; siquidem praeterea ante Nicaenum Concilium habitum multae de doctrina catholica sententiae vacillantes nobis occurrunt. Quibus consideratis, si universe spectamus ad religionis capita ab auctore tractata, cernimus ea omnia ab eo stre-

---

<sup>1)</sup> Vide HIER. in Ezck. cap. 36 I. III.

nue confirmari magis quam destrui. Quare, auctoris consilio in operibus suis suscipiendis minime neglecto, vix video quo jure Hieronymi verba: „Utinam tam nostra confirmare potuisset quam facile aliena destruxit” — ratione videlicet monumentorum nobis traditorum — ad eum referri possint. Neque omnibus numeris justum puto, eum, *perminutum* theologum appellare, ut Heumannus fecit, cui simul profitendum erat: „id quidem honoris ei (Lactantio) debetur, quod primus dicendus est inter Latinos Christianos cogitasse de doctrina Christiana in formam disciplinae systematisque redigenda”<sup>1)</sup>. Prior enim orationis pars tunc omnino jure aliquo fieri potuisset, si auctoris consilium non fuisset, quod ipse sat perspicue indicavit, homines veritatis ignaros tanquam rudes a principio formare ne toto lumine objecto caligarent<sup>2)</sup>.

<sup>1)</sup> HEUMANNUS in Praef. operum omnium Lact. c. 2. — „Nimirum doctrinam religionis activam i. e. *Practicam* libro VI. universo tractavit, et tanquam in compendium redegit. Neque contemplativae, i. e. *Theoreticae* partem, quae spectat ad Christum Dei Filium, hominum doctorem, servatorem et judicem sine diligentia libro IV. et VII.; ceteras vero datâ occasione passim enarravit. Cernuntur in libris ejus prima tanquam lineamenta corporis, quod deinceps alii compegerunt.” SPIJKER: in diss. de Pret. Inst. Div. Lact. stat. pag. 88 in fine. ed. Lugduni Bat. 1826.

<sup>2)</sup> Inst. lib. V. cap. 4 ed. sūn. pag. 590.

Qua re igitur minime neglecta, Franciscus Petrarcha haud sine aequitate de eo dixit haec: „Lactantius Firmianus et ipse magnus vir in eo libro, quo, Gentilium erroribus exarmatis, fidem nostram, quantum quivit, armavit, omnemque hanc Deorum scenam mira et laudabili curiositate detexit, inque hoc idem opus Augustino atque aliis sequacibus viam fecit”<sup>1)</sup>. Neque Trithemius dubitavit Lactantium vocare virum saeculares litteras abundanter doctum et divinis scripturis nobiliter institutum<sup>2)</sup>. Quam ob causam haud pauci scriptores antiqui non immerito eum inter maximos Religionis verae propugnatores atque inter numerum Theologorum ecclesiam Christianam exornantium ordinarunt.

---

<sup>1)</sup> Vide lib. II de Otio Religiosorum.

<sup>2)</sup> „Firmianus Lactantius Arnobii Rhetoris quondam auditor, atque discipulus, vir in secularibus litteris abundanter doctus, Divinis Scripturis nobiliter institutus etc.” TRITHEMIUS: de Script. Eccl.

## CAPUT IV.

### CONCLUSIO.

---

In Lactantii Theologia exponenda, ut jam alibi <sup>1)</sup> monuimus, nobis non exspectanda est acuta et philosopha explicatio τῶν δογμάτων doctrinae Christianae. Hac in re auctori fortasse defuit ingenium Origenis vel profundum studium theologicum viri magni Augustini. Praeterea rhetori, qualis magnopere excelluit, aliud munus impositum erat, quod pertinet ad temporis, quo vivebat, necessitatem <sup>2)</sup>. Ejus consilium primarium

---

<sup>1)</sup> Videantur quae scripsi inde a pag. 39 usque ad 45, speciatim pag. 43 etc.

<sup>2)</sup> „Fällen wir nach dieser Uebersicht seiner Schriften ein Urtheil über die dogmenhistorische Bedeutung des Lactantius, so muss zugegeben werden, dass sein Hauptgewicht mehr in der Widerlegung heidnischen Irrthümer liegt, als in der Entwicklung und Darlegung der eigentlichen christlichen Religionslehre. Er zeigt sich überall mehr als Redner denn als Philosoph.“ TH. PRESSEL, in Herzog's Real-Encycl. pag. 160. VIII. Band. 1857.



erat, quod patuit sufficienter ex ejus ratione theologica supra exposita, partem moralem religionis Christianae exhibere. Revera ei propositum erat hujus praestantiam prae Ethnicorum religionibus vindicare, magis quam profundam expositionem singularium doctrinae capitum efferre. Quod posterius minime ei opus erat, qui sibi bene conscius erat officii erudiendorum eorum, qui adhuc erant *χρείαν ἔχοντες γάλακτος, καὶ οὐ στερεᾶς τροφῆς.*

Nihilo tamen minus consentiendum est, in Lactantii Theologia inveniri prima inter Latinos Christianos conamina doctrinae Christianae in artis formam redigendae. Hanc quidem ob causam aequae ac propter singularem ejus aetatis rationem in ejus scriptis expressam, hujus viri studia theologica sine emolumento negligi nequeunt. <sup>1)</sup>

---

<sup>1)</sup> „Der Umstand, dass seine Schriften den ersten Versuch der abendländischen Kirche, den gesammten Stoff der Heilslehre zu einem Systeme auszuprägen, enthalten, so wie seine Originalität auf einzelnen Gebieten des Dogmas, in der sich neben seiner singulären Individualität doch auch die Eigenthümlichkeit seiner Zeit ausspricht, wird diesem Kirchenvater trotz der Protestation eines neueren Dogmenhistorikers (MEIER) immer einen Platz in der Dogmengeschichte sichern, auch wenn er im Capitel von den Trinität nur „eine nachgetriebene Herbstblüthe, ja, die ver-

Consilium igitur supra expositum animo continuo revolvens Lactantius incepit hocce opus eximium, Divinas Institutiones, in quibus, nisi omnino plane, saltem maximam partem ejus opiniones theologicae expositae sunt <sup>1)</sup>. Primum auctor quaestionem de Providentia Dei, qua aut fecit aut regit mundum, pertractat, quam sine ulla haesitatione affirmat, ac copiosa demonstratione vix indigere putat <sup>2)</sup>. Deinde erudite asserens unum esse Deum, mundi hujus conditorem et gubernatorem, de Deo ita loquitur auctor, ut quodammodo inde colligere possimus, quid ipse de eo putaverit, nempe quid sit, qualis sit et quod unus sit; quae omnia satis pure edocuit <sup>3)</sup>. Deum igitur religionis objectum definit *mentem aeternam ex omni parte perfectae*

---

zerzte Wiederholung einer längst vergangenen Zeit" sein sollte.""  
 Dr. OVERLACH: die Theologie des Lactantius, pag. 1. in programmatae Gymnasii Fredericiani, ed. 1858, apud Dr. BAEREN-  
 SPRUNG, Schwerin.

<sup>1)</sup> Loci qui plenius ab auctore explicati sunt, praecipui sunt: de Religione Christiana; de Deo, in genere; de Providentia; de vero Dei cultu interiore.

<sup>2)</sup> Div. Inst. lib. I. cap. 2. De Providentia divina magnam partem arguit in libro de officio Dei, quem scripsit, ut illam in corpore humano perlucem ob oculos poneret, et Epicureos eam negantes refutaret.

<sup>3)</sup> Div. Inst. lib. I. cap. 3—7.

*consummataeque virtutis, sive vim illam, cui et providentia excogitandi inest, et solertia potestaque faciendi* <sup>1)</sup>). Ille Deus spiritualis substantia, corpore carens, quam mente tantum intueri possumus, perfectus est atque aeternus <sup>2)</sup>). Neque factum Numen est; ex se ipso est, et ideo talis est, qualem se esse voluit, impassibilis, immutabilis, incorruptus, beatus <sup>3)</sup>). Nulli rei subjectus, sed omnium potentissimus, ex quo omnia sunt, eoque ipso fons bonorum <sup>4)</sup>).

Idem mundum ex nihilo fecit, materiamque ex eo, quod non est, praeparavit <sup>5)</sup>). Condidit mundum non sua, sed animantium causa, caeterosque animantes propter hominem, quem ex limo terrae formavit, ut vitae suae auctorem adoraret <sup>6)</sup>).

<sup>1)</sup> Div. Inst. lib. I. cap. 3; lib. II. cap. 8.

<sup>2)</sup> Div. Inst. lib. II. cap. 1, 5, 9; lib. VII. cap. 3, 9. 2.

<sup>3)</sup> Div. Inst. lib. II. cap. 5.

<sup>4)</sup> Div. Inst. lib. I. cap. 3; lib. II. cap. 5, 8; aliisque locis.

<sup>5)</sup> Div. Inst. lib. II. cap. 8, 9. — „Gott schuf diese Welt.“ C. 8, wo er zugleich zeigt, dass die Welt aus nicht erschaffen ist, und keine Materie dazu genommen wurde; vgl. Epit. 27; er sagt ausdrücklich, dass Gott alles machte und dass nichts ist, was nicht von Gott seinen Ursprung hat.“ GOLDWITZER: Patrologie verbunden mit Patristik. pag. 257. vol. I. Nürnberg, 1834.

<sup>6)</sup> Div. Inst. lib. VII. cap. 4, 5; lib. de Ira Dei, c. 13. „Nihil aliud adoremus, nihil colamus; nisi solum artificis parentisque

Homo autem e rebus diversis ac repugnantibus constat; sicut ipse mundus ex luce ac tenebris; anima scilicet, quae velut e coelo oritur a Deo, et corpore, quod e terra formatum est. Deus autem animum cum corporibus ideo ligavit, ne sine magno labore homo, in virtute excolenda, ad vitam aeternam pervenire posset<sup>1)</sup>. Quo facto, postquam justitiam secutus est, immortalitatem adipiscitur, quae beatitudo merces praemiumque virtutis est<sup>2)</sup>.

Numen divinum, quod Patrem appellamus, quia omnia creavit et nobis multa largitur, antequam mundum conderet, Spiritum sui similem, sanctum, incorruptibilem et irreprehensibilem genuit, quem Filium nuncupavit. Illum solum primogenitum divini nominis appellatione Pater dignatus est, pollentem paterna virtute et majestate. Hujus consilio profecto et opere in fabricatione mundi Deus usus est. Nomen autem hujus Filii proprium soli Deo notum est; Jesum tamen inter

---

nostri unicum numen; qui propterea hominem erectum creavit, ut sciamus nos ad superna et coelestia provocari." lib. II. c. 18.

<sup>1)</sup> Div. Inst. lib. II. cap. 10—12; lib. VII. cap. 5. conf. de Opif. Dei 16—19.

<sup>2)</sup> Div. Inst. lib. VII. cap. 5.

homines nominatus est et Christus, quae est nominatio potestatis et regni. Ejus nativitas duplex est, altera in Spiritu, altera in carne. Quoad priorem incomprehensibiliter cum voce ac sono ex Dei ore processit, sicut verbum, unde sermo ac verbum Dei nuncupatur, rectius tamen λόγος apud Graecos <sup>1)</sup>). Quod pertinet ad alteram, de virgine natus est sicut homo, in conditione mortali. Quam ob rem duae quoque naturae in Christo, divina nempe et humana sunt. Divina illa praecipue ex operibus, speciatim miraculis, quae fecit, apparuit atque porro ex iis ipsis, quae Isaias, Hieremias et Davides de Christo praedicaverunt. Sic humana illa ex passione, quam pertulit, apparuit, et ex iis, quae prophetae de eo vaticinati erant. Fuit itaque Deus et homo, inter Deum atque hominem mediator constitutus, unde quoque μεσίτης appellatur <sup>2)</sup>). Quae quum ita sint, cum dicimus Deum Patrem et Deum Filium, unum tamen Deum utrumque appellamus; nam Pater sine Filio et Filius sine Patre nuncupari non potest. Utrique una mens, unus spiritus, una substantia est, quam ob intimam conjunctionem unus est tamquam duo

<sup>1)</sup> Div. Inst. lib. II. cap. 8; lib. IV. cap. 6—9.

<sup>2)</sup> Div. Inst. lib. IV. cap. 13—15; cap. 25.

et duo tamquam unus. „Neque id mirum,” quae auctoris ipsius verba sunt, „quum et Filius sit in Patre, quia Pater diligit Filium; et Pater in Filio, quia voluntati Patris fideliter paret, nec unquam faciat aut fecerit, nisi quod Pater aut voluit aut iussit”<sup>1)</sup>.

Ad comprobandum oportuisse Christum non tantum Deum, sed et hominem esse, Lactantius argumentis utitur hisce. Ob hanc quidem causam eum oportuit non meram humanam naturam habere, quod in doctrina perfecta proferenda et necessitate parendi, hominibus coelesti auctoritate imponenda, necesse sit ut ipse quoque faciat praecepta, quae hominibus dat. Eo magis res sese ita habent, ut videant alii ea fieri posse, quae ille, qui mores aliorum fingit, praecepit, neve contemnant doctorem. Item necesse erat ut Dei Filius carne indutus fuerit, quod Deus expers corporis hominem docere non possit; quod eos, qui excusent carne delicta sua, valeat redarguere, ostendens, carnem etiam posse capere virtutem. Nam sic exempla virtutis homini praebere potuit ille, qui a Deo doctori nobis datus est<sup>2)</sup>. Eum igitur Deus ad

<sup>1)</sup> Div. Inst. lib. IV. cap. 29.

<sup>2)</sup> Div. Inst. lib. IV. cap. 23, 24.

homines misit, ut eos, ad virtutem vocatos, ad cognoscendum verum Deum adduceret. Justitiam veram homines docuit magister ille et veram religionem in terram transtulit legatus summi Patris, eamque a Judaeis ad exteris gentes <sup>1)</sup>. Morte pro hominibus suscepta, illas gentes heredes fecit regni aeterni, rejectis Judaeis.

Ut autem omnia, quae aut fecit aut passus est figuram habuerunt, nec sine significatione fuerunt, ita mortem subiit, ut constantiae et patientiae praeberet exemplum, et, morte per virtutem domita, resurgeret, generique humano spem vincendae mortis nec non immortalitatis afferret <sup>2)</sup>. His factis, ad Patrem profectus regnum coeleste adeptus est, unde aliquando in terram redibit, ut regnet cum sectatoribus. Qua in re chiliastarum opinionem sequitur auctor, docens Christum per mille annos inter homines versaturum, eosque justissimo imperio gubernaturum. Tandem hisce annis exactis renovabitur mundus a Deo, et transformabit Deus hominem in similitudinem Angelorum. Eodem tempore locum habebit secunda omnium resur-

<sup>1)</sup> Div. Inst. lib. IV. cap. 10, 11, 14.

<sup>2)</sup> Div. Inst. lib. IV. cap. 10, 12, 19, 26. — Quid praeterea de morte Christi Lactantius docuerit, patet ex hujus disq. pag. 72—74.

rectio, in qua excitabuntur iniusti ad cruciatus sempiternos <sup>1)</sup>).

Praeterea auctor de Diabolo haec monet. Secundum ejus opinionem Deus, postquam similem sui Spiritum produxisset, fecerit et alterum, in quo indoles divinae stirpis non mansit. Ille de bono ad malum descendit, suoque arbitrio, quod liberum a Deo ei datum erat, contrarium nomen sibi adscivit. Hinc cunctorum malorum fons est et invidit antecessori suo, qui Deo carus est. Huncce Spiritum Graeci *Διάβολον* appellant; Latini vero Criminatorem, quod crimina, in quae ipse illicit, ad Deum deferat. Ille praeterea princeps est eorum geniorum, qui a Deo defecerunt et vitiis se tradiderunt. In conjunctione cum hisce geniis Princeps ille homines a cultu Dei et notitia avertere studet, et variis artibus utitur, ut iis noceat. Aliquando autem cum his spiritibus malis scelerum suorum poenae ei luendae sunt, atque in conspectu angelorum hominumque proborum in aeterno igni cremabitur <sup>2)</sup>).

<sup>1)</sup> Div. Inst. lib. IV. cap. 21; lib. VII. cap. 20—26.

<sup>2)</sup> Div. Inst. lib. IV. cap. 8, 9, 14, 17; lib. VII. 21, 26. — His omnibus de rebus videantur SPIJKER: diss. de Pretio Inst. Div. statuendo, pag. 69, et GOLDWITZER: Patrologie verbunden mit Patristiek, vol. I. pag. 253.



Praeter haec religionis capita magis minusve copiose tractata, auctor insuper de aliis, ut de vero Dei cultu interiore, de Ecclesia, de Poenitentia, de lapsu hominum verba fecit, quae omnia, primo excepto, breviter tantum attigit.

De vero *Dei cultu interiore* sententias scriptis suis Lactantius inseruit hasce. Secundum eum verus Dei cultus id religionis officium est, in quo mens colentis se ipsa Deo immaculatam offert<sup>1)</sup>. Nihil enim sancta illa majestas ab homine interius desiderat, quam solam innocentiam; quam si quis obtulerit, satis pie litavit<sup>2)</sup>. Neque alia spes homini proposita est, nisi ut, abjectis vanitatibus, Deo serviat et se ad cultum verae religionis instituat. Hac enim conditione gignimur, ut generanti nos Deo debita obsequia praebeamus<sup>3)</sup>. Quam devotionis functionem per Filium exsequi nobis opus est, nam ille summus Deus non potest nisi per eum coli. Qui enim Patrem se colere putat, sed Filium non colit, ne Patrem quidem rite adorat<sup>4)</sup>.

De *Ecclesia* ita locutus est, ut noverimus quid

---

<sup>1)</sup> Div. Inst. lib. IV. cap. 28; VI. cap. 2.

<sup>2)</sup> Div. Inst. lib. VI. cap. 1.

<sup>3)</sup> Div. Inst. lib. VI. capite ultimo.

<sup>4)</sup> Div. Inst. lib. IV. cap. 29.

secundum auctoris opinionem sit et quomodo sese ab aliis ejusmodi institutis distinguat. Illa est aeternum templum a Christo conditum, ut universas gentes ad religionem Dei veri convocaret. Est praeterea verum templum Dei in corde ac fide hominum, qui credunt in eum ac *fideles* vocantur. Fundamenta hujus Ecclesiae Apostoli posuerunt, et sola ea Catholica est, in qua est confessio, et poenitentia, quae peccata et vulnera salubriter curat<sup>1)</sup>. Deinde de *poenitentia* paene his verbis auctor sententiam suam exprimit. Deo satisfacere possumus, si poeniteat actorum, et nos ad Deum convertamur; nam ille morum emendatione placatur. Quem enim facti sui vere poenitet, hic errorem suum intelligit; ideo Graecorum verbum *μετάνοια* significantius est quam *resipiscentia*, quo Latini utuntur. Ille igitur revera resipiscit, quem errati piget, et qui confirmat animum suum ad rectius vivendum. Peccati conscientia et metus poenae hominem religiosorem facit<sup>2)</sup>. Tandem lapsum hominum ex eo, referens ad Mosis narrationem, derivat, quod Criminator, invidens Dei operibus, omnes calliditates suas intendit ad ho-

<sup>1)</sup> Div. Inst. lib. IV. cap. 13, 14, 21.

<sup>2)</sup> Div. Inst. lib. V, cap. 13; VI, 13, 24, 26.

minem decipiendum. Primum mulierem decepit, ut vetitum cibum sibi sumeret et per eam homini persuasit legem transcendere. Sic peccatum in mundum venit et homini immortalitas adempta est <sup>1)</sup>).

Quibus rebus expositis, in Lactantii Theologia cernimus religionem Christianam ab eo expositam esse modo ei soli peculiari, quo hujus praestantia satis perspicue eniteat. In ea summum bonum, in ea hominis conjunctionem cum Deo ponit; per eam enim rerum coelestium rationem rite cognoscimus et ad fruitionem Dei venimus. Neque in ea tantum merus cultus externus, profundae significationis expers, requiritur; sed Christianum oportet scire et sentire quid ei colendum sit. Ad verum igitur cultum eumque interiorem fortiter Lactantius incitat, quo homo sibi conscius fit suae cum Creatore necessitudinis, ad quam summa animi puritas perquam necessaria est. Quare satis perspicue patet, religionem Christianam, iudice Lactantio, non constare externis moribus ac consuetudine tantum, verum e contrario totum hominem internum amplecti. Homines singulos ideo ad vitam moralem quidem, sed eam internam, adducere

---

<sup>1)</sup> Div. Inst. lib. II. cap. 12; VI. 13.

conatur; quod ad consilium assequendum mentem dirigit in Jesum Christum, tanquam doctorem hujus virtutis et justitiae praeceptorem. Ex quibus omnibus tuto concludimus, Lactantio magis vitam quam doctrinam cordi fuisse in religione Jesu Christi commendanda atque exponenda. Quin Christi ipsius mors apud eum talem rationem exhibet; quamquam consentiendum est, hunc rei aspectum verosimiliter Auctoris gentili educationi attribuendum esse, nec non exemplo fortasse Ethnicorum philosophorum, sicut Socratis aliorumque, quos certo magni fecit. Praeterea, ratione habita doctrinae de Deo, semper primarium locum apud Lactantium tenet Supremi Numinis unitas, quam contra Polytheismum Ethnicorum studiosissime defendit. Quod quidem contra dualismum Manichaeorum ejus aetatis non sine effectu erat. Eadem ratione egregio modo nobis ob oculos ponit Dei attributa, quibus rite adorationis objectum fit. — Quoad autem Christologiam, Jesus Christus fundamentum Theologiae est. In eo ipso enim principium, ut ita dicam, ethicum et religiosum suum fulcrum obtinet et pulcherrimae congruentiae rationem. Natura divina et humana in eo, aequa ratione et harmonice congruentes, conjunctae sunt.

Deus est Christus aequè ac homo; potestatem Dei habet et patientiam hominis summopere moralis possidet. Hoc sane principium haud minorem locum tenet in Christi apparitione in terra, quod Lactantio simul materiam praebet probando necessitatem Dei hominis facti. Quod quidem in toto Christi opere et vita hac in terra aequè persequitur.

Eadem ratio ethica manet, ubi poenitentiae notionem Lactantius describit. Apud eum nulla quidem ecclesia est sine poenitentia; hujus autem verbi vis tam strenue urgetur, ut tantum ad vitam internam referatur, quare vox Latina ei parum satisfacit. Quam ob causam haud sine acumine exposuit, virtutem sine pietate nullam esse et immortalitatis spem hominibus esse ideo praesertim necessariam, ut virtutem studiosius colant.

Denique, quamquam multa ad pleniorè religionis Christianae expositionem apud Lactantium desiderantur, ei attamen haec laus debetur, quod certo haud minus diligens fuit, quam caeteri ecclesiae antiquae Apologetae. Quae assertio non modo valet de defensione verae Christianorum religionis, verum etiam de modo quo hanc exposuit.

## THESES.

### I.

Liber *de Mortibus Persecutorum* Lactantio abnegandus est.

### II.

*Destinandi* ad aliquid, non perfectum et sanctum reddendi vim habet vox ἀγιάζειν Joh. X : 36.

### III.

Particula *iva* in N. T. non tantum usurpa-

tur ἐπιτελικῶς, sed etiam ἐκβατικῶς et δεικτικῶς.

## IV.

Formulae ἐν εἶναι, Joh. X : 30, inest notio *ejusdem esse auctoritatis*.

## V.

Legendo pro וְהָאֱלֹהִים (Gen. XXII : 13) verbum וְהָאֱלֹהִים, omnes expediuntur difficultates, hunc locum prementes.

## VI.

In Ps. VIII : 6 מַלְאָכָיו vertendum est per *angelos*.

## VII.

Verba προσκυνήσαντες αὐτὸν Luc. XXIV : 52 authentica sunt.

## VIII.

Locus Marc. XVI : 9—20 authenticus habendus est.

## IX.

Thomas alloquitur ipsum Jesum tanquam Deum,  
Joh. XX : 28.

## X.

Ex ratione, qua in colloquiis cum discipulis  
aliisque, Jesus ipse ab his se distinguit, habita  
Dei Patris ratione, efficitur, eum sibi conscium  
fuisse, se esse Dei similem.

## XI.

Verba τοῦ μεγάλου Θεοῦ, Tit. II : 13, perti-  
nent ad sequentia Ἰησοῦ Χριστοῦ.

## XII.

Optime contra Sadducaeos attulit Jesus argu-  
mentum ex Ex. III (vid. Matth. XXII : 32) ad  
eorum ratiocinationem profligandam.

## XIII.

Jesus in mente habuit condere ecclesiam,



## XIV.

Eph. V : 1, 2 optime inservire potest principio  
Theologiae moralis exponendae.

## XV.

Liberi textus praeferendi sunt constitutis vel  
pericopis vel textibus.